





IN TERTIVM

IVSTINI FEBRONII TOMVM

ANIMADVERSIONES

ROMANO-CATHOLICAE

TRIBVS EPISTOLIS COMPREHENSAE

ADCEDIT APPENDICIS INSTAR

S. CYPRIANI *Episcopi* Carthaginiensis *&* *Martyris*

LIBER

DE UNITATE ECCLESIAE

Cum adnotationibus Illustriss. Massiliensis *Episcopi nunc primum ex* Gallico *idiomate* latine *redditis*, *aliisque Editoris adversus* Febronium, Böhmerum, *&* Schubertum *recentissimum inter* Protestantes *Pontificii Primatus oppugnatorem*.



ROMÆ MDCCLXXIV.

EX TYPOGRAPHIO JOHANNIS ZEMPEL.

SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI.

PRAESIDVM FACVLTATE.

Quid non audeat humana temeritas , quum in ſententiam nefandi praecipitatur erroris , quam relinquere propter vanitatem pudet , & defendere contra veritatem non pudet ?

S. AVGVSTINVS

contra Creſconium *Grammaticum Lib. IV. cap.* 38.

TYPOGRAPHVS

L E C T O R I.

I.  Uum *Carthaginem* delatus nescio quis adversus *Cornelium Romanum* Pontificem liber fuisset, legi illum vetuit S. *Cyprianus*. Caussas ipse *Cyprianus* in Epistola ad eumdem *Cornelium*, quae XLII. est *Pamelianae* editionis, ita aperit: „ honoris etiam communionis memores, & „ gravitatis sacerdotalis, ac sanctitatis re- „ spectum tenentes, ea, quae ex diverso „ in librum ad nos transmissum congesta „ fuerant acerbationibus criminosis, respui- „ mus; considerantes pariter, & ponde- „ rantes, quod in tanto fratrum religioso- „ que conventu considentibus Dei Sacerdo- „ tibus, & altari posito nec legi debeant, „ nec audiri. Neque enim facile promen- „ da sunt, & incaute ac temere publican- „ da, quae discordioso stylo audientibus scan- „ dalum moveant, & fratres longe positos „ ac trans mare constitutos incerta opinio- „ ne confundant. Viderint qui vel furori „ suo, vel libidini servientes, & divinae „ legis ac sanctitatis immemores, vel jacti- „ tare interim gestiunt, quae probare non

„ possunt, & quum innocentiam destruere „ atque expugnare non valeant, satis habent fama mendaci & falso rumore maculas inspergere. Certe quod praepositis & sacerdotibus congruit, danda opera est, ut talia, quum a quibusdam scribuntur, per nos respuantur. Ubi enim „ erit, quod discimus, ac docemus scriptum esse: *contine linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur insidiose*; „ item alibi: *os tuum abundavit malitia, & lingua tua complectebatur insidias; sedens adversus fratrem tuum detrahebas, & adversus filium matris tuae ponebas scandalum*; item quod Apostolus dicit, „ *omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus*? Porro haec „ fieri debere ostendimus, si quando talia „ quorumdam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur „.

II. Hoc *Cypriani* exemplum praestantissimos *Germaniae* Episcopos, qui primum *Febronii* volumen damnarunt, sequutos fuisse, iisdemque ferme de caussis si dixero, nihil sane, quod cum a veritate non omnino consentiat, protulero. An non enim in eum librum congesta fuerant plurima *acerbationibus criminosis*? an non omnia *discordioso stylo*

ſtylo in magnum legentium *ſcandalum* in illo propoſita ? An non eo ſpectaſſe *Febronius* videtur, ut *Romanae* Curiae *fama mendaci*, *& falſo rumore maculas inſpergeret* ? Quid ergo Epiſcopi facerent, praeſertim *Romani* Pontificis exemplo, & auctoritate ad id ſe ſe compulſos eſſe quum intelligerent, niſi ut legi *Febronianum* opus *apud ſe non paterentur* ? At fortaſſe *Febronius* reponeret, librum a *Cypriano* confixum ad unitatem ſcindendam a *Novatiani* adſeclis fuiſſe compoſitum; ſe contra librum ſuum, ut ad Eccleſiam ab ea diſſidentes revocarentur, edidiſſe. Inane perfugium! Audiamus eumdem *Cyprianum* Ep.LV. „ Neque enim aliunde „ haereſes obortae ſunt, aut nata ſunt ſchiſ„ mata, quam dum Sacerdoti Dei non ob„ temperatur, nec unus in Eccleſia ad tem„ pus judex *vice Chriſti* cogitatur. Cui ſi „ ſecundum magiſteria divina obtempera„ ret fraternitas univerſa.... nemo diſci„ dio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet; „ nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum „ foris haereſim novam conderet „. Quantum iſthaec a *Febronianis* commentis ſunt diſſentanea! *Cyprianus non aliunde haereſes obortas*, *non aliunde nata ſchiſmata* putabat, *quam dum Sacerdoti Dei non obtemperatur*; *Febronius* non obtemperari *Romano*

no Pontifici jubet. *Cyprianus unum in Ecclesia ad tempus Sacerdotem & ad tempus Judicem* VICE CHRISTI *cogitandum* monet; *Febronius unum* hunc in *Ecclesia Sacerdotem, & ad tempus Judicem* VICE CHRISTI iis coloribus pingit, ut veluti publicus bonorum direptor ac praedator, superbus Ecclesiasticae libertatis oppressor, crudelis vexator Ecclesiae & orbis in commune odium vocetur. Atque hunc ego *Febronium*, qui quod omnium haeresum schismatumque fons, caussa, origo ex *Cypriani* sententia fuit, illud maxime commendet, urgeat, inculcet, hunc, inquam, de extinguendis haeresibus, ac de amovendis schismatibus serio cogitasse existimem?

III. Utinam vero quae de primo *Febroniano* volumine hactenus dicta sunt, ea de ceteris quoque, quae illud sequuta vidimus, adfirmare non cogeremur! Sed heu! eadem ubique *Romanae* curiae insectatio, idem in *Romanos* Pontifices furor, idem universae cujusdam in eos conflandae seditionis studium dominatur. Ac de secundo quidem *Februniani* operis tomo id a Cl. *Kauffmansio* in luculenta ad novam sui *Apologetici Theologici* editionem praefatione, ab egregio inter *Italos Capucinos* Theologo P. *Viatore* a *Cocaleo* tomo tertio suarum Epistola-

larum *Tridenti* excuſo a. 1772. & ab Auctore *Antifebronii vindicati* dilucide, copioſeque fuit demonſtratum. De tertio autem ubi tres, quas edimus, epiſtolas legeris, idipſum neceſſario fateberis. Exhibent hae, quam plures efflagitabant, nefarii operis confutationem, brevem illam quidem, ſed ſolidam, perſpicuam, audeo etiam dicere abſolutam, atque ad ſeditioſum, ac turbulentum larvati *Febronii* declarandum ingenium aptiſſimam. Ne tamen exigua libelli moles minus peritos in ſuſpicionem adduceret, *Febronianam* audaciam, quae frangi debuiſſet, leviter adtactam fuiſſe, placuit auctori epiſtolarum, inſigne illud Chriſtianae antiquitatis monumentum, librum, inquam, S. *Cypriani Carthaginienſis* Epiſcopi & Martyris *de unitate Eccleſiae* appendicis inſtar adtexere. Nam & in eo libro, quo Sanctiſſimus ille Antiſtes ampliſſimi Primatus auctoritatem, Epiſcopatus exordium, Eccleſiaſticae unitatis originem *Petro* Apoſtolorum Principi vindicat, *Febronianum* ſyſtema a fundamentis ſubverti, & *Febronianarum* in quibuſdam explicandis ejuſdem libri ſententiis fallaciarum detegendarum commodam ſibi offerri occaſionem intelligebat. Ut autem nova haec praeſtantiſſimi operis editio Chriſtianae Reipublicae utilior

esset, quoniam Clarifs. *Massiliensis* Ecclesiae Antistes *Henricus Franciscus Xaverius de Belsunce* de *Castelmoron* an. MDCCXLIV. eumdem hunc librum *Massiliae* cum egregiis *Gallicis* animadversionibus divulgaverat, has rursus heic dari voluit Epistolarum Auctor, sed latine a se redditas. Quid nempe ad coercendam hominis *Gallicanae* Ecclesiae auctoritate tam saepe abutentis arrogantiam opportunius, quam praeclarissimi nostro hoc saeculo Episcopi dogmata in medium adferre, illumque etiam post celebrem a.MDCLXXXII. *declarationem* nunc *Petrum* Ecclesiae fundamentum, & caput, atque unitatis Sacerdotalis exordium, nunc amplissimam *Petro*, eamque *jurisdictionis* etiam in Apostolos collatam potestatem, nunc Episcopalem potestatem in *Petro* ejus veluti fonte primum constitutam, nunc *Petri* successores *Romanos* Pontifices Ecclesiae sponsos, ac potestatis plenitudine a Christo donatos, nunc denique Episcopos si cum *Romanae* Ecclesiae Pontifice comparentur, oves esse ab illo pascendas, regendasque agnoscentem, ac praedicantem audire? *Febronius Launojos*, *Dupinios*, *Fleuryos*, *Realios*, idque genus virulentos Scriptores frustra appellat. Non enim a privatis Doctoribus nulla praeditis auctoritate (quid

vero

vero si inimico in *Romanam* Sedem animo fuerint? Quid si gravissimorum errorum convicti, quemadmodum hi?) sed ab Episcopis, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, nisi forte ceteri dissentiant, quaenam Ecclesiae *Gallicanae* sententia sit, discere tandem debemus. Ceterum Editor suas quoque adnotationes idemtidem addidit, quibus non *Febroniani* modo libri, sed etiam *Justi Henningi*, *Böhmeri Dissertationes Juris Ecclesiastici antiqui ad* Plinium secundum, *&* Tertullianum Halae MDCCXXIX. iterum excusae, & *Johannis Ernesti Schuberti commentatio historico-Theologica de jurisdictione Pontificis Romani in terris Principum Romano-Catholicorum* Helmstadii, & Halae a. MDCCLXIV. typis expressa refellerentur.

IV. Erunt tamen fortassis, qui hac, licet utilissima, praetermissa appendice *Febronii* quartum & quinctum volumen ab Epistolarum auctore confutatum mallent. At quid si vix quartum amplissimi Cardinalis benignitate videre illi licuisset? Numquid tertium interea abire impune debuit, nemine illud reprehendente, dum quarto, & quincto, qui expectabatur, tomo satisfieret? Brevi tamen utrumque refelletur, nec necessaria defensionis dilatio caussae oberit aequi-

aequitati. Illud vero praemoneo, non longa confutatione ad id opus futurum, quum *Febronius* nulla ad suorum adversariorum argumenta adhibita responsione, de more eadem iteret, si in *Romanos* Pontifices petulantiam, in eorumque vindices convicia & maledicta dempseris, quibus sane superiorum voluminum longe impudentiam atque acerbitatem, multumque superavit. Optamus interea omnes boni, ut liber, qui e meo typographio nunc prodit, fructum ab auctore sibi praestitutum obtineat, illorum nempe, qui aut sectarum dissidio, aut partium studio Apostolicae Sedis dignitatem, si fieri posset, evertere conantur, emendationem.

AD-

ADPROBATIO.

Quid de Febronii Opere sentirem, Rme Pater, jamdudum aperui in meis ad *Didymi* libros *de Trinitate* adnotationibus. His, quæ tunc scripsi, illud nunc addam, *Febronium Voltærio* ipso pestilentiorem quodammodo mihi videri, non quod eo impietatis devenerit, ut divinos etiam libros irrideat, ut *Voltærius* fecit, sed quod impia quidem hujus scripta nemo non detestetur, si paucos aliquot ei non dissimiles exceperis; *Febronium* vero etsi abjecti styli scriptorem, & cujuslibet fere auctoritatis, quæ illius erroribus adversetur, contemptorem haud pauci nescio quomodo admirantur, aut certe admirari se simulant. Hinc facile intelliges, Rme Pater, quam libenter legerim librum calamo exaratum, quem mihi misisti sic inscriptum: *In tertium Febronii Tomum Animadversiones &c.* Quemadmodum vero ipse illum libenter percurri, ita ab omnibus Catholicis, aut veri amantibus hominibus lectum iri puto. Nihil enim eis occurret, quod orthodoxam Fidem, nihil quod morum sanctitatem lædat: Romani vero Pontificis jura strenue Auctor a Febronii objectis vindicat, ac *potiorem* illam, seu *potentiorem principalitatem* tuetur, quam in Romana Ecclesia agnovit, & graece *ἡγεμονίαν* vocavit S. Irenæus, ut in Notis ad librum *Didymi* secundum *de Trinitate* monui, id est, *omnium qui sunt undique Fidelium gubernationem*, *rectionem*, ac *principatum* spiritalem. Ita censeo ego Sacræ Theologiæ Lector Emeritus, Sacræ Indicis Congregationis Consultor, & Publicus in Bononiensi Archigymnasio Lector. Dabam Romæ in Ædibus S. Petri ad Vincula die XXVI. Decembris Anno Domini MDCCLXXIII.

D. Johannes Aloysius Mingarelli Abbas, & Procurator Generalis.

AD-

ADPROBATIO.

Cum *Animadversiones in tertium Tomum Justini Febronii Jurisconsulti*, & ad S. *Cypriani Episcopi Carthaginiensis Librum de unitate Ecclesiæ Adnotationes*, demandante Rmo P. M. Thoma Ricchinio Sacri Palatii Apostolici Magistro attente perlegerim, non modo omnia Catholicæ Fidei probisque moribus apprime consona reperi, verum etiam miratus sum eruditionis copiam, vimque rationum, quibus Romani Pontificis Primatus & Auctoritas in universam Ecclesiam perpetuo asseritur, & ab Obtrectatoris conatibus strenue vindicatur. Quare eas publica luce dignas censeo. Dabam in Cœnobio Ss. XII. Apostolorum duodecimo Kalendas Januarii 1774.

I. Joseph Andr. Martinelli S. T. M. Sancti Officii Consultor.



IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistri Sacri Palatii Apostolici.

F. A. Episcopus Montis Alti, ac Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Augustinus Ricchinus Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.

IN-

INDEX EPISTOLARUM.

Epistola prima ad *Justinum Febronium*, ut resipiscat.

Secunda ad Clarissimos Theologicae Facultatis *Sorbonicae* Doctores, ut *pro sua in Apostolicam Sedem reverentia* Febronium Gallicanae *Ecclesiae auctoritate abutentem compescant*.

Tertia ad *Italos*, *Germanosque Febronii* oppugnatores, ut a refellendo tertio ejus tomo, in quo praeter effraenatiorem in Romanos Pontifices licentiam nihil est non antea ab ipsis contritum, penitus abstineant.

INDICVLVS.

rerum in prima Epistola contentarum.

VIII. *Dein-*

EPISTOLA II.

III. *Tri-*

XII. *The-*

EPISTOLA III,

APPENDIX,

EPI-



EPISTOLA PRIMA

AD IVSTINVM FEBRONIVM

VT RESIPISCAT

I. NUdius tertius adcepi tandem novam illam tuorum in *Romanam* Sedem maledictorum farraginem, quae *Francofurti* & *Lipsiae* superiore anno prodiit inscripta: IVSTINI FEBRONII JVRE CONSVLTI *de statu Ecclesiae, & legitima potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in Religione Christianos compositus, tomus tertius ulteriores operis vindicias continens*. Speraveram equidem, mi *Justine*, fore, ut in tanta adversus te Catholicorum Doctorum conspiratione, tuos demum errores agnosceres, schismaticos tuos in *Romanam* Sedem conatus defleres, ab illaque tot, quas in eam contuleras, criminationum, & contumeliarum veniam demissis precibus peteres. Verum proh! dolor, tertium hunc tomum emisi-

Proponuntur, quae in Febronii *libro reprehensione visa sunt digna.*

sti non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Quae enim in eo tradis, tam explicatae sunt, projectaeque impudentiae, ut nisi fortassis *Lipsiae* in haeretica urbe, quae una proferre illum potuit impune, legi absque indignatione omnino non possint. Multum quoque in hoc libro levitatis, multum inconstantiae, multum malae fidei animadverti, etsi illum non tam adcuratae lectionis, quam curiositatis studio percurri. Cave credas, me isthaec tibi ex praeconceptis quibusdam opinionibus objicere. Vitiorum, quae indicavi, specimina dabo, si lubet. Utinam vero tandem sapias! serum id quidem; debitum tamen & laudabile, tibi longe utilissimum.

Audacia.

Levitas, inconstantia, mala fides.

Levitatis specimen primum; plures in refellendis adversariis personas mentiri.

II. A levitate ordior, quae non uno modo se prodit. Enimvero quid magis ridiculum, ac puerile, quam quum unus idemque sis, qui *Viatori* a *Cocaleo* erudito inter PP. *Capuccinos* Theologo, *Andreae Schmidio*, & *Walchio Lutherano* respondere hoc tertio volumine adgrederis, hos quidem tuo nomine refellas, illum vero *Danielis Bertoni* persona in scenam immissa? Id equidem alias a te usurpatum novi. Nam quum in primi voluminis appendicibus nescio quem larvatum *Justinianum* FROBENIVM, *Josephum* KLEINERVM *Heidelbergensem* Theologum, & *Lipsiensem Fridericum* BAHRDT confutandos suscepisses, tres sustinuisti personas, *Justiniani novi*, *Johannis Clerici*, & *Auli Jordani*; *Johannis* praeterea a *Calore*, & *Theodori* a *Palude* nomina ementitum te video in secundo operis tui volumi-

lumine, quo *Godefridi Kauffmans*, *Gregorii TrautWein*, *Julii Antonii Sangalli*, *Ladislai Sappel*, & *Francisci Antonii Zaccaria* conatus refutasti. Caussas, cur novo tibi *Proteo* tot libeat personas commutare, non inepte Auctor *Antifebronii vindicati* (*diss. I. cap. I. pag.* 10.) coniecit, seu ut *incautis persuadeas nescio quas doctorum hominum phalanges sub tuis vexillis stipendia mereri*, *seu ut si forte te tibi non satis constare obtigerit* (obtigisse autem non semel infra ostendam), *alteri tribuere confidentius possis*, *quae in tuis doctrinis pugnantia occurrant*. Verum nae tu lepidum caput es, qui rem tibi cum pueris, aut stipitibus fore credideris, ut quum exploratum sit (quod idem Auctor monuit *p.* 16.) *non doctrinam modo puram putam* Febronianam *esse*, *sed stylum*, *totamque operis conformationem unum* Febronium *horum omnium opusculorum auctorem prodere*, latere tamen sub hac larva impune te posse confidentissime existimaris. Apage mi *Febroni* scenicas has personas, quae *Jurisconsulti* (hoc enim nomine delectaris; mallem ego Theologi) gravitatem non decent, sed quamdam animi levitatem praeseferunt. Nobis quidem seu *Bertonum*, seu etiam *Caninianum* te dixeris, *Febronius* semper eris, nec magis *calorem* tuum, quam *frigus*, aut *paludes*, quam *stagna* pertimescemus, si forte *Johannis* a *Calore*, aut *Theodori* a *Palude* detracta larva repente in scenam prodeas *Martinus* a *Frigore*, aut *Joh. Nicolaus a Stagno*.

III. Quamquam levitatis tuae aliud est,

Specimen alterum, vindicias ostentare, quae ne vindiciarum quidem umbram praeseferant, adeo cassae, & nullae sunt.

illudque singulare argumentum; nempe vel in *libri fronte ulteriores operis tui vindicias* magno nobis hiatu promittis. At quid quaeso *vindiciae* tuae sunt? Vin? scire? Verba sunt; conglobatae in *Romanam* Curiam criminationes; prolixae sententiarum vel ex *Guilielmo Durando, Gersone, Cusano*, Card. *Juliano, Basileensibus* Theologis, qui perturbatis omnino temporibus, aut etiam vigente schismate suas edidere lucubrationes, vel ex apertis *Romanae* Sedis hostibus *Maimburgio, Van-Espenio*, idque genus aliis depromptarum recitationes; inanes scilicet gerrae (quid enim ab his exspectandum, quam ut sive temporum iniquitate, sive animorum malevolentia tui similes quum essent, tuis similia in *Romanam* Sedem probra & convicia jactarint? quidve ab horum obtrectationibus caussae tuae adcedere ponderis, praesidiique possit?); adversariorum, quos repellere debueras, contemptio; mira cum primis in tergiversando, in elabendo, in obiectis tibi rebus extenuandis, aut (quod certe tutius) plane dissimulandis calliditas. Vere *Cocaleensis* Theologus abs te quaerere posset, quod a *Juliano S. Augustinus* (*lib. I. contr. Julian.*): *cur libro suo saltem specietenus te respondisse glorieris, quum tuo sui partem nec quartam reprehendendo tetigeris, eosque saltus in praetereundis suis disputationibus feceris, quasi omnino desperares utriusque operis, sui scilicet & tui, quemquam esse posse lectorem, qui ista deprehenderet*. Fortasse te, inquies, multa praeteriisse, quod in prioribus libris a Te, com-

men-

mentitiisque subadiuvis tuis *Johanne a Calore*, & *Theodoro a Palude* fuerant antea occupata. Animadverti enimvero, te quamsaepissime ad ea, quae in illis libris edita sunt, digitum intendere, ut vel eorum locorum indicationes non exigua tuarum vindiciarum pars esse videantur. Fucum scilicet incautis lectoribus facis, quos tua in designandis hujusmodi locis confidentia in eam suspicionem adducere facile posset, ad rem, qua de agitur, bonae aliquid frugis illic inesse. Verum siquis loca illa adierit, quid tandem inveniet? nisi tuorum dictorum iterationes, nullis argumentis, ac rationibus confirmatas. Crederes tamen? Ea est, ac tam crebra in hisce vindiciis rerum superioribus annis a te prolatarum, a tuis vero oppugnatoribus non semel contritarum redintegratio, ut inani illo librorum tuorum appellandorum compendio multo saepius te usum mallemus, quam nobis recoctam crambem adpositam toties fuisse. Quid enim adtinebat, ut *Cyprianicae* cum *Stephano*, *Asianorumque* Antistitum cum *Victore* controversiae in utroque priore volumine ad nauseam fere inculcatae in hoc rursus, nec semel mentionem faceres? Quid necesse fuit (p. 19.) *Clari Masculani* Episcopi in *Carthaginiensi* Concilio sententiam, & (p. 21.) *Petri Guerreri Granatensis* Archiepiscopi orationem ob oculos ponere, quam utramque *Tomo II. p.* 242. exhibueras? Quid oportuit (ut alia omittam, exemplis enim ponendus est modus) aut *p.* 27. aculeati cujusdam in *Gregorium* IV. maledicti, aut

 p. 291.

p. 291. editi a Concilio *Salegunstadiensi* decreti memoriam refricare, quorum illud *To.II. p.*574. hoc *To.I.p.*533. pridem recitaveras? Haec eo spectant, *Febroni*, ut intelligas, nihil te minus fecisse, quam quod recentis operis tui institutum, atque adeo titulus postulabat. Quei Liber aliquis sit refutandus, exemplo te suo docuerant *Sangallus*, *Kauffmans*, *Zaccaria*, & *Viator*. Singula illi, quae contra *Romani* Pontificis caussam vim aliquam habere videbantur, fide bona expresserunt; nullum tui impetum declinarunt; sacri Codicis, Patrum, Conciliorumque sententias sententiis compararunt; excusserunt facta; fontes, seu potius faeces, de quibus tua hausta sunt dogmata, patefecerunt; curarunt autem cum primis, ut delirationes tuas, calumniasque indubitatis tabulis ac monumentis coercerent; verbo, nihil intactum, nihil non perspicue, solideque discussum reliquerunt. Quam tu uti opinionibus, ita earum defensione ab illis diversus! Audes tamen Librum, in quo nihil minus agis, quam quod agendum susceperas, *vindicias* appellare, ac de victoria gloriari. Id enimvero (ut ad illud orationem propius conferam, de quo admonere te institueram) levissimi animi, qualem scilicet miles ille *Plauti* gloriosus praeseferebat, aut plane imbecilli est argumentum. Sed de levitate tua nimis fortasse multa. Haec enim sapienti viro risum magis, quam stomachum moveat. Quae objurgationem merentur (sunt autem alia, quae initio indicavi) ea utilius persequamur.

IV. Ac

IV. Ac de inconstantia, ut primum dicam, qua fit, ut saepe saepius tecum ipso incautus pugnes, adcipe exemplum, quod prima *Bertonianae*, idest tuae defensionis pagina exhibet. Meministine trium illarum sententiarum, quas ex S. *Basilio*, ex *Auxiliario*, ex S. *Bernardo Romanis* insultaturus veluti summam quamdam operi tuo praemisisti? Recole illas eo, quo a te recitatae sunt, ordine. „ S. *Basilius* „ M. Epist. 239. de *Romanis* loquens: *Quale* „ *nobis auxilium ab Occidentalium supercilio* „ *aderit, qui veritatem neque norunt, neque* „ *dicere sustinent*. *Auxiliarius* Praefectus Ur- „ bis *Romae*, ad S. *Hilarium*, in hujus vita „ Cap. 17. *Impatienter ferunt* (Romani) *si* „ *sic loquamur, quomodo nobis conscii sumus*. „ *Aures praeterea* Romanorum *quadam tene-* „ *ritudine plus trahuntur*. *S. Bernardus* Lib. „ IV. de Consideratione ad *Eugenium* Papam „ cap. 2. *Vides, omnem Ecclesiasticum zelum* „ (Romae) *fervere pro sola dignitate tuenda*. „ Vide autem, quam non morosus sim censor. Non heic ex te quaero, quid *Basilii* sententia ad institutum tuum faciat. Nihil certe omnino, si quid intelligo. Numquid enim soli *Romani Occidentales* sunt, de quorum *supercilio Basilius* queritur? Cave amabo, id dicas. Nam *Basilius*, dum eadem illa in epistola *Romanum* Pontificem *Occidentalium Coriphaeum* appellat, illum non *Romanorum*, sed *Occidentalium* omnium, *Gallorum*, *Italorum*, seu *Occidentalis* Patriarchatus caput & principem te ipso auctore & interprete (*T. I. p.* 168. *edit. a* 1765.) de-

Inconstantia, qua Febronius secum ipso non raro pugnat. Specimen primum; quaedam veterum sententiae operi praemissae.

signavit. Quid ergo ad solos *Romanos* ea detorques, quae omnibus generatim *Occidentalibus Basilius* exprobrat? Nihilne heic malitiae? nihil fraudis? Verum isthaec, ut dixi, missa facio. Illud peto, quo *Bernardus*, quo *Basilius*, & *Auxiliarius* tempore scripserint. Quo ista spectet interrogatio, non intelligis. Dicam plane. Quarto *Basilius*, quincto *Auxiliarius* saeculo scripsit; tribus igitur iste, quatuor ille fere ante procusas *Isidori* Decretales epistolas saeculis. Urgeo. Quei factum, ut quod undecimo labente saeculo, aut ineunte duodecimo, decretalibus illis longe lateque disseminatis *Claraevallensis* Abbas in *Romanis* notavit, idem his vitium tot ante illas decretales saeculis *Basilius* & *Auxiliarius* obiecerint? Ne mireris, me heic ancipitem haerere. Novi scilicet, te (T.I. p. 198.) in *Isidorianis* pseudo-decretalibus *agnovisse, formam illam Monarchicam, quam toto hoc opere expugnamus; sicque facile intelligemus, per hanc Decretalium confictionem & introductionem*, Patrum disciplinam *fuisse confractam, &, quoad hanc, Christiano Orbi quasi pro jure proposita principia tamquam ab Apostolica traditione ad nos transmissa, quae tamen Apostolorum moribus, & primorum saeculorum observantiae directe repugnant*; immo eodem Tomo (*p.* 641.) aperte edixeras: *Caussa primaria lapsus disciplinae, & alteratae formae Ecclesiasticae, sunt fictae Decretales* Isidori. Novi, *Ladislao* te scripsisse (T.II. p. 104.): *apparet abunde ingens in regimine sacro mutatio in vim & sequelam spuriarum decretalium fa-*

quarum recitatio Febronianis *placitis non admodum consentanea videtur.*

facta, cum ignota eousque exaltatione Episcopi Romani, *& manifesta derogatione auctoritatis reliquorum Episcoporum, Metropolitanorum, & Synodorum.* Novi te P. *Zaccaria* respondentem monuisse (*T.II. p.*550.) *si jam* ALTIUS *adscendamus ad genuinam caussam tantorum malorum, id est omnium Statuum Ecclesiasticorum corruptelam, primo mox passu incurrimus in corrupta* Isidorianae *Jurisprudentiae principia*. Quamquam quid haec memoro? *Quam universalem,* inquis in hoc ipso, quod expendimus, tertio volumine (p.247.), *simul ac funestam illae in Ecclesiastica disciplina & regimine sacro, postquam receptae fuerant, revolutionem, in hanc usque diem perdurantem, caussaverint generatim, referunt, & testantur Scriptores sacri* (Canonicos Sacrorum Bibliorum Scriptores fere intellexeram; hos enim *Sacros* Romano-Catholici appellare consuevimus) *quibus non habemus graviores in jure sacro. Hi sunt* Antonius Augustinus, Stephanus Baluzius, Natalis Alexander &c. Age jam. Non is mihi effutire pugnantia videatur, qui quum decretalibus multo vetustiores *Romanae* superbiae atque intolerantiae testes appellet, in illis tamen epistolis cum Ecclesiasticae disciplinae labem omnem & ruinam, tum etiam *Romanae* ambitionis initia ac fundamenta agnoscat? Num fallor?

V. Utique falli me, inquies, quum veluti hancee inconstantiae accusationem occupaturus in primo volumine diserte scripseris (*pag.* 647.): „ ante falsas decretales Pontificia au„ ctoritas aegre intra suos fines continebatur, „ sic

ut haec concilientur, frustra obnitente Febronio.

„ sic ferente humanae conditione infirmitatis,
„ quae a magna sublimitate saepe augetur, &
„ superiori potestati plerumque incitamenta
„ addit ad se altius efferendum cum depressio-
„ ne inferiorum. Eo jam aevo inventi sunt,
„ qui *Romanam* Sedem de studio augendae po-
„ testatis suae incusarent. Saeculo IV. *Libe-*
„ *rius* Papa in epistola ad Imperatorem *Con-*
„ *stantium*, in *Petri Coustantii* Collectione Epi-
„ stolarum RR. Pontificum col. 425. religiose
„ pronuntiat: *Numquam mea statuta, sed A-*
„ *postolica ut essent semper firmata & custo-*
„ *dita perfeci: sequutus morem ordinemque*
„ *Majorum nihil addidi Episcopatui urbis* Ro-
„ mae, *nihil minui passus sum*. Talium aug-
„ mentorum haud pauca, sive attentata, sive
„ in effectum redacta, hoc ipso Tractatu exhi-
„ bemus, ex Saeculo II. in *Victore* cap. IX. §. 7.
„ n. 2. Saeculo III. in *Stephano* cap. VI. §. 9.
„ Saeculo V. in *Innocentio* I. cap. V. §. 2. n. 2. in
„ *Bonifacio* I. seu potius *Zosimo* cap. V. §. 6. n. 5.
„ in *Leone* M. cap. IV. §. 11. n. 2. item cap. V. §. 4.
„ n. 3. lit. d. in *Gelasio* cap. V. §. 8. n. 1. Saeculo VI.
„ in *Gregorio* M. cap. V. §. 4. n. 9. Neque heic
„ quidem sistebatur, sed habebant praeterea
„ *Romani* tum modo aures delicatas, ita ut
„ aegre audirent eos, qui bona licet mente
„ de abusu seu excessu potestatis loquebantur.
„ Sic igitur in epistola *Auxiliarii* &c. Quid
„ itaque mirum si homines sive ambitiosi, si-
„ ve avari, sive superstitiosi, falsorum docu-
„ mentorum adinventione & efformatione his
„ Ecclesiasticae auctoritatis excessibus colorem

„ quae-

„ quaesierunt, & ad multo magis majora suscipienda viam praepararunt „? Belle equidem; non tamen mihi de manibus elaberis, quin te tecum ipso conflixisse fatearis. Verum id antequam exsequor, sine quaeso, ut recitatis ex tuo illo priore volumine verbis parumper insistam. Nec te, *Febroni*, puduit, *Liberio* testante, *sequutum* se MOREM ORDINEMQVE MAJORVM *nihil addidisse Episcopatui urbis Romae*, studium augendae potestatis *Victori*, & *Stephano* exprobrasse, quasi aut illi *Liberii* majores non fuerint, quum tamen secundo saeculo alter, alter tertio decesserit, aut tibi perspectiora gesta illorum essent, quam *Liberio*? Quid porro illud, quam audax, quam protervum, (parce verbo) quam scelestum, *Victorem*, *Stephanum*, *Innocentium* I., *Zosimum*, *Caelestinum*, *Leonem* Magnum, *Gelasium*, *Gregorium* M. sanctissimos scilicet Pontifices sacris universae Ecclesiae fastis inscriptos, ac totius antiquitatis testimonio collaudatos usurpatae non legitimae auctoritatis insimulare? Hoc ἐν παρόδῳ. Redeo ad id, quod dixeram, latere heic aliquid placitis tuis haud penitus consentaneum. Tu homo *Occidentalibus* omnibus *superciliosior* nobis edissere, veteremne *Romanam* Curiam, an recentiorem illis *Basilii*, *Auxiliarii*, *Bernardique* sententiis vellicare cogitabas? Si veterem, quid siquis ex vitiorum similitudine similem quoque recentioris, nempe *Isidorianam* jam tum viguisse disciplinam argumentetur? Sin recentiorem, quid ad eam *Basilii*, & *Auxiliarii* querimoniae? Id unum

unum ex his intelligimus, quum *humanae conditioni infirmitatis* antiqua illa *supercilii*, & *teneritudinis* exempla tribueris, te, si tibi constare voluisses, recentiora *solius dignitatis* tuendae studia non *Isidorianis* decretalibus., sed eidem humanae imbecillitati adscribere debuisse. Sed bonus ego, qui isthaec veluti secum repugnantia diutius insecter, quum conspicua, eaque insignia foedae hujusmodi conflictionis exempla non desint.

Specimen alterum; PAULLI SARPII *defensio.*

VI. Nempe in *examine judicii &c.* p. 249. *dum*, inquis, *Jesuita* certum esse, *ait* Paullum Sarpium *fuisse de Secta Protestantium*, *injuriam facit viro magno*; tum mira de *Sarpii* virtutibus, ac pietate praedicas; quae etiam adversus *Bossuetium* (*p.* 359. *seqq.*) multis confirmas. De hujus *Sarpianae* defensionis veritate fortasse alias. Nunc tantum te quaeso, ut primum adeas tui operis volumen *p.* 777. Amicum ibi inducis, qui non dubitarit, tibi *pro labore*, *laudando licet*, *ut ajebat*, *fine suscepto*, *totam* Romanae *Curiae indignationem & vindictam augurari*. *An*, *inquit*, *ignoras fata* Paulli Sarpii, & Edmundi Richerii? *quorum hic stylum ferreum* Romanum *prope vidit*, *ille sensit etiam*. Addis deinde, te illi reposuisse: *meum propositum a caussa & facto binorum illorum virorum toto caelo distare*; *illos fuisse osores Papatus*, *& inimicos Pontificum*, *qui* Lutherum & Calvinum *habuere ductores*. *Ego S.* Bernardum *sequi cupio &c.* Heic mecum parumper siste. Tua isthaec sunt, *Sarpium fuisse osorem Papatus*, *& inimicum Pontificum*, *qui* Luthe-

Lutherum & Calvinum *habuit ductores*. Hiccine *vir ille magnus*, cui injuriam facit, qui eum *fuisse de secta Protestantium* harioletur? in cujus vita, ut ais (*T.III. p.250.*) *non tantum nihil legitur, quo Protestanticae Religionis vel in minimo argui queat, sed ex contrario certa Catholicae fidei, ab eo constanter professae argumenta undique prosiliunt?* qui *Deo mira pietate, religione, continentia* addictus jure ac merito praedicari potuerit? Quam pulcre ista sibi consentiunt, *Febroni*! hinc *odium Papatus*, inimicitia cum Pontificibus, *Lutheri* & *Calvini* ductorum consectatio; illinc constans Catholicae fidei professio, mira pietas, Religio!

Specimen tertium; Richeriani *systematis explicatio.*

VII. Sed *Richerii*, quae injecta est mentio, novum illudque splendidum, neque unum, sed multiplex inconstantiae tuae exemplum prodit. Dixerat *Viator*, summam *Richeriani* systematis hanc esse, *Christum fundando Ecclesiam, prius, immediatius, atque essentialius claves sive jurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam* Petro: *seu quod eodem redit, Claves toti contulisse Ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur*; addideratque, *impium* hocce *Richerii* systema *ab omnibus bonis diris devotum* a te fuisse cooptatum. Quid tu? *Adversum haec ego*, inquis (*p.13.*), *Capucino nostro Italo audeo reponere*, Richerii *systema, quoad hoc, neque novum esse, neque impium, sed hanc ejus doctrinam veram, piam, & statui, ac instituto Ecclesiae conformem. In eo autem ille perperam & sinistre docuit, quod tam in memorato opusculo, quam in quatuor Tomis bi-*

storias

ſtoriae Conciliorum Generalium, Eccleſiae Statum paſſim faciat Ariſtocraticum, *quod aeque malum, ac falſum eſt, quam eum reddere* Monarchicum. De tui hujus effati falſitate alius fortaſſe erit dicendi locus. Nunc aliud agimus, te ſcilicet diſſona, atque invicem abhorrentia ſcripſiſſe. In hoc ergo omnis *Richerii* error demum ſitus eſt, te auctore, quod Eccleſiae Statum paſſim *Ariſtocraticum* conſtituerit. Verum mi bone, an non tu quoque *Ariſtocraticum* Eccleſiae Statum eſſe tradidiſti? Quaeris quo loco? Tomo II. tùm in tuo illo ad epiſtolam *Ladislai* reſponſo, ubi *p.*87. *claves univerſitati Miniſtrorum Chriſti datas eſſe* fidenter ais; tum etiam in apologia adverſus quatuor Theologos (*p.* 180.) ubi ut *ſummam poteſtatem reſidere in univerſalitate Eccleſiae* oſtenderes, *hunc*, inquis, *divinum Spiritum Salvator noſter uni* Petro *neque promiſit neque dedit*: *Communicavit illum* omnibus ſimul Apoſtolis, *ideſt* univerſae Eccleſiae regenti. Quid enim eſt *univerſitas Miniſtrorum*, quid *Eccleſia regens*? utique Eccleſiae Principes, & optimates. Audi nunc. Penes illos Eccleſiae regimen eſt, quibus claves poteſtatis traditae a Chriſto ſunt, & ſpiritus veritatis conceſſus; porro te Magiſtro claves poteſtatis Chriſtus *univerſitati Miniſtrorum*, ſpiritum veritatis *Eccleſiae regenti* eſt impertitus; igitur penes *univerſitatem Miniſtrorum*, atque *Eccleſiam regentem* eſt Eccleſiae regimen. Ariſtocraticum ergo Eccleſiae regimen eſt, cujuſmodi illud *Richerium* voluiſſe adfirmas. *Richerianus* igitur, velis nolis, es totus.

cum iis primum comparata quae Tomo II. Febronius *docuit*

totus. Quid restat, nisi ut tandem concludam non te constanter & consentanee loqui, qui quum *Richeriani* systematis notam a te depellere studeas, illud ipsum tueris, in quo tamen universam ejus systematis improbitatem sitam esse contendis?

VIII. Recognosce jam *Febroni*, quae Tomo I. (*Append. III. p.* 41.) de *Richeriano* systemate adversus *Kleinerum* disputasti. ,, In eo ,, (verba tua sunt) *Edmundus Richerius* a ,, doctrina, quam *Gallicana Ecclesia* publice ,, profitetur, potissimum discrepat, quod ille ,, docuerit, *Romanum* Pontificem Ecclesiae ,, quidem caput esse, at *symbolicum dumtaxat*, *seu figurativum*, *ministeriale*, *adcidentarium*, *non necessarium* .... ,, *An talia somniavit* Febronius? Vigilansne, an dormiens, nescio, somniavit tamen, qui cum *Richerio* iterum statuit (p. 12.); *Christum fundando Ecclesiam prius*, *immediatius*, *atque essentialius claves sive jurisdictionem toti Ecclesiae dedisse*, *quam* Petro. Nempe *Richerius*, quemadmodum *Petavius* animadvertit (*de Eccles. hier. Lib. III. cap.* 16. *n.* 7.) ,, *instrumentale* ac *ministeriale* ,, caput existimari voluit *Romanum* Pontificem, ,, quod immediate ab Ecclesia ipsa, communitateque fidelium potestas in eum omnis, ac ,, jurisdictio profecta sit: quippe qui illam a ,, Christo *prius*, & *immediatius* corpori ipsi ,, communicatam adserat, quam capiti; ac ,, per praesides suos tamquam instrumenta, ministrosque agere communitatem: quemadmodum corpus per oculum videt, eumque ap- ,, plicat

deinde cum illis collata, quae Tomo I. tradidit.

,, plicat ad usum, & actionem suam, vim illi, ac motionem imprimens. Prorsus ille ,, utcumque cavillari, ac ludificari studeat, & ,, quantoscumque fumos, ac nebulas ancipi- ,, tis, & inconditi sermonis obducat, persua- ,, dere istud tamen nititur, Episcopos omnes, ,, & horum supremum *Romanum* Pontificem, ,, non a Christo proxime, & *immediate* juris- ,, dictionem adcepisse: sed ab Ecclesia ipsa; ,, hoc est ab multitudine fidelium ,,. Quum igitur *Richerianum* de clavibus *immediatius Ecclesiae datis, quam* Petro decretum, ex quo nefarium alterum de Papa *symbolico dumtaxat, seu figurativo, ministeriali &c.* Ecclesiae capite dogma necessario consequitur, omni conatu defenderis, ac porro defendas, aut & alterum hocce *Richerii* commentum te somniasse fatearis, necesse est, aut delirasse te dicam, qui ut a *Richerio* seu dissentires, seu dissentire videreris, a temetipso diffidere non dubitaris, consequentia negans, quum illud, cujus consequentia sint, non concesseris modo, sed etiam acriter propugnaris. Fac tamen, ista vera non esse. Non idem certe erratum est, Aristocraticum regimen Ecclesiae tribuere, quod *Romano* Pontifici unam *symbolici & ministerialis* capitis rationem adscribere: sunt haec plane diversa. Tecum igitur ipso saltem pugnabis, quod in primo Volumine *Richeriani* erroris summam omnem in hac capitis adferenda conditione posueris, in tertio autem totum, quod in novo *Galli* illius Scriptoris systemate vitii inest, ad Aristocratiam deflexeris.

IX. Tuae

IX. Tuae tamen inconſtantiae, qua fit, ut quam ſaepiſſime pugnantia invicem loquaris, aliud habeo exemplum, quod enucleatius proponam. *In reſponſionibus ad poſtulata* Walchii Goettingenſis Profeſſoris (*p.* 322.) demonſtrandum adgrederis, *ad ſervandam Eccleſiae unitatem viſibili capite opus eſſe*. Id autem efficere cum primis niteris (*p.* 324.) celeberrimis illis apud *Matthaeum* XVI. Chriſti Domini verbis: *tu es Petrus &c.* tum etiam ex loco *Johannis* XXI. *Paſce agnos meos &c.* Nam „ ſane, inquis, verbis Chriſti *Tu es Petrus*, & „ quae ſequuntur, nec non illis *tibi dabo claves Regni Coelorum*, ſi mature ponderentur, „ aliqua praerogativa ſignificatur, quae nullatenus fuit ceteris Apoſtolis communis. „ Quamquam enim omnibus Apoſtolis *claves* „ *Regni Coelorum* datae ſint, & ad omnes „ pertineant iſta Domini verba: *Paſce oves* „ *meas*; adtamen ex ipſis his verbis elucet „ *Petri* praerogativa, quia S. *Petro* tamquam „ figuram Eccleſiae gerenti, ac primum inter „ ceteros Paſtores locum occupanti, claves Regni Coelorum, & regendas oves Chriſtus „ commiſit. Ad quid enim inter ceteros electus a Chriſto *Petrus*, ut in ejus perſona „ toti Eccleſiae claves Regni Coelorum daret, „ niſi quia Primatum in tota Eccleſia, Chriſto concedente, gerebat? Sint ergo, & dicantur reliqui Apoſtoli *Eccleſiae fundamenta*; „ ſemper ſalva & integra vindicari debet *Petro* dignitas & praerogativa primatus. Inſuper quum *Johannis* XXI. Dominus ſemel, ite-

Specimen quartum, Pontificii Primatus adverſus Walchiū ex locis Matthaei.

„ iterum, & tertium *Petrum* interrogaſſet: Si-
„ mon Johannis *diligis me* PLVS HIS? reſpon-
„ diſſet autem *Petrus*: *Domine tu ſcis*, *quia*
„ *amo te*, Chriſtus iterato adjecit. *Paſce agnos*
„ *meos*, & tertia demum vice: *Paſce oves*
„ *meas*. Ut quid autem repetita haec de amo-
„ re interrogatio, repetitumque paſcendi Do-
„ minici gregis mandatum *Petro* datur, ſi nul-
„ lum peculiare, & a ceteris diſtinctum munus
„ illi collatum fuiſſet„? Atque equidem maxime gratularer, *Febroni*, quod tandem horumcce verborum vim intellexeris, ſtudiumque tuum, quo *Lutheranae* factionis homini *Petri* primatum perſuadere conaris, meritis laudibus extollerem; niſi quod heic aedificas, tute funditus diruiſſes. Adverte animum. Primatus, quo de agis, non honoris, non ordinis, non dignitatis eſt (hunc enim ne ipſi quidem heterodoxi *Petro* denegabunt); poteſtatis primatus eſt, atque auctoritatis. Verum quei Lutherano ejuſmodi primatum ex verbis, quae indicavimus, comprobabis, ſi quae eorum vim declinaturus *Romanae* Monarchiae adſertoribus tu ipſe non ſemel reſpondiſti, tibi objecerit? Nam quae, dic ſodes, *praerogativa Petro* conceſſa verbis illis *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram* ſignificabitur, ſi Petra Chriſtus ſit? Atqui id duce te, ac Magiſtro *Walchius* reponet. „ De
„ loco *Matthaei* XVI. *v.* 18., inquis hujus ter-
„ tii Voluminis *p.*244., tres eſſe (vel omnino
„ quatuor) SS.Patrum & Eccleſiaſticorum Com-
„ mentatorum ſententias & interpretationes,
„ omnibus notum eſt. Eas indicavit *Febronius*

Cap.I.

„ Cap.I. §.9. Inter illos, qui per verba, *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* „ *& portae inferi non praevalebunt adversus* „ *eam*, Christum ipsum significari arbitrantur, „ *Natalis Alexander Hist. Eccles. Tom. VIII.* „ *pag.* 374. recenset S. *Hieronymum*, S. *Augustinum*, *Theodoretum*, Ven. *Bedam*, *Rabanum Maurum*, S. *Anselmum*, *Petrum Lombardum*, *Johaunem Saresburiensem*, *Coelestinum* III. Pont. Max. *Innocentium* PP. III. „ S. *Thomam* &c. Itaque verum manet, incertum esse, an per memorata Evangelistae verba alius praeter Christum intelligatur „. Hactenus tu in *Examine Judicii*. I nunc, & *Lutheranos* his verbis urge, ut in *Petro* primatum non potestatis dicam, sed ordinis fateantur. At saltem, inquies, Claves *Petro* datae id evincunt. Serione haec dicis, an iocu lariter? SCHVBERTI *Lutherani*, quem inter *eruditissimos*, *& moderatissimos Protestantium* (*p*.290.) enumeras, utique commentationem vidisti *Helmstadii* 1764. editam *de jurisdictione Pontificis Romani*. Noveris igitur, quid ille Cap.IV.pag. 208. hac super re disseruit. Juvabit tamen ea tibi heic quoque sub oculos ponere. „ *Petro* „ his verbis claves promitti, haud difficulter „ concedimus. Sed quaeritur, *num illi soli* „ *promissae sint?* Graviter sine dubio falluntur „ adversarii, si, quod *simpliciter* dictum est, „ *exclusive* intelligere velint. Quid vero tunc „ eos juvat prolixa illa disputatio? *Petro* promittuntur claves Regni Coelorum. Concedo. „ Num vero propterea illi soli promittuntur,

 exclu-

„ exclusis reliquis Apostolis „? Minime vero, inquies, qui primi tui Voluminis Cap. I. §. 2. n.6.p.19. *oppido falli illos, qui* uni Petro *claves a Christo datas autumant*, fere de cathedra pronunciaris. Sed audi *Schuberti* cetera: „ Si „ autem *Petro* ita promissae sunt claves, quemadmodum & reliquis Apostolis alibi promittuntur, & dantur, quaenam est illa praerogativa, quam *Petro* his verbis traditam „ esse putent „? Si eam dixeris, *quae*, ut citato primi Voluminis loco ajebas, *quae* fines directorii, & formae *non egrediatur*, undenam quaeso id ex adlatis *Matthaei* verbis extundas? „ Claves (reddo tua verba ex Tomo II. *pag.* „ 171.) quando actu tradebantur, omnibus „ Apostolis communiter datae sunt. In omnibus occasionibus, ubi Christus Dominus discipulis suis aut dedit, aut confirmavit potestatem respondentem fini, quem sibi in constitutione Ecclesiae proposuerat, multa sollicitudine ad eos verba *collective* dirigit, „ ut per hoc singulis praetextum tollat sibi „ privative arrogandi jura, quae omnibus volebat esse communia „. Nullum igitur jus *Petro* datum est, quod Christus ceteris quoque Apostolis commune non esse voluerit. Igitur vel primatus ille, *qui fines directorii, & formae non egrediatur*, juris aliquid designat, vel honoris tantummodo est argumentum. Si hoc ais, nihil ad rem tuam dicis: si illud, a *Schuberto* negabitur tibi, qui eadem jura omnibus Apostolis communia a Christo constituta fuisse tradideris. *At enim quid inter ceteros electus*

a Chri-

a Christo Petrus, *ut in ejus persona toti Ecclesiae claves Regni Coelorum daret, nisi quia Primatum in tota Ecclesia, Christo concedente, gerebat?* Recte. Verum in *Petri* persona toti Ecclesiae dari claves a Christo potuere, quod Ecclesiam *Petrus* significaret ut ejus Princeps; potuere etiam dari, quod totius Ecclesiae gestarit personam veluti ejus Legatus. Illud tu inficiaris; ex hoc autem Legati munere quid tandem pro primatu, qui *fines directorii, & formae* non egrediatur, sed tamen sit potestatis, efficies? *Johannis* locus superest, quem expendens ajebas: *ut quid repetita baec de amore interrogatio, repetitumque pascendi Dominici gregis mandatum* Petro *datur, si nullum peculiare, & a ceteris distinctum munus illi collatum fuisset?* Verum quid *Schuberto* facies ita repetitam hanc de amore interrogationem enarranti *p.213.*? „Quod „ hoc loco singulariter & tribus vicibus *Petro* „ commendatur, sine dubio factum est, quod „ ille Dominum suum ter abnegaverat. Suam „ namque infirmitatem hoc lapsu satis demon„ straverat, seque tanto munere indignum red„ diderat *Petrus*, ideoque in officio confirman„ dus, & singulariter monendus erat, ut cu„ ram gregis majori diligentia & fide, mino„ ri vero temeritate imposterum gereret. Hinc „ & prius interrogatur, num Christum dilige„ ret „. Facile ego *Schubertum* refellerem. Ex eo scilicet percunctarer, cur Christus antequam Apostolos omnes, atque adeo *Petrum* *Joh. XX.* mitteret, ac remittendorum peccatorum potestate donaret, ex *Petro* sciscitatus non

& Johannis collectio Febronii decretis plane contraria.

fuerit, num se plus ceteris diligeret; sciscitatus porro fuerit *Joh.* XXI. antequam pascendarum ovium curam illi deferret? Si enim nihil *Petro* contulit, quam quod eidem *Petro*, ceterisque Apostolis *Joh. XX.* illos mittens, sicut miserat eum Pater, fuerat impertitus, quid erat, quod de *Petri* amore adeo sollicitum se tunc tantummodo ostenderet? ,, Sumpsit igitur, ut ,, cum doctissimo *Maldonato* loquar in hunc *Jo-* ,, *bannis* locum, occasionem Christus *Petrum* ,, interrogandi, utrum se plus quam ceteri di- ,, scipuli diligeret, a recenti ejus facto, quod ,, se unus omnium ceteris in navi relictis au- ,, dito Christum esse, qui in littore apparebat, ,, in mare conjecisset, quod singularis amoris ,, fuerat. Quasi dicat, *diligis me plus bis*, ,, quemadmodum videris modo demonstrare vo- ,, luisse? Si ergo ita est, *pasce oves meas*. Quid ,, sequitur, nisi si non ita est, nolo, ut pascas ,, oves meas. Atqui si *Petrus* non plus Chri- ,, stum, quam ceteri discipuli, diligeret, non ,, propterea profecto minorem, quam illi pa- ,, scendarum ovium Christi potestatem adcepis- ,, set; ergo ea potestas, quam ita Christus il- ,, li dat, ut daturus non fuisset, nisi se plus- ,, quam ceteri diligeret, major utique, quam ,, potestas aliorum discipulorum, erat ,,. Haec autem potestas quum in Apostolos quoque esset a *Petro* exercenda, quos non minus ac ceteras oves Petrus *pascere* jubetur, *directorii* certe & *formae* fines egrediebatur, nisi quis insipientissime velit, Apostolorum quoque in gregem, ad quem pascendum constituti a Christo fuerant, pote-

poteſtatem *directorii* & *formae* finibus contentam fuiſſe. Ita ego *Schuberto* reponerem. Verum tu ad primatum illum tuum *directorii* & *formae* finibus comprehenſum a *Lutherani* hujus Profeſſoris cavillationibus vindicandum his uti non potes. Aditum enim omni defenſioni praecluſiſti, quum in nupero tuo libro ſcriberes (*p.6.*) „ Quocumque ſenſu adcipiantur haec „ verba (*paſce oves meas*) nihil majus, latiuſ- „ ve potuerunt exprimere poteſtate illa, quam „ omnibus ſimul Apoſtolis Salvator contulit, ſi- „ ve *ante*, ſi ve *poſt* colloquium, quod *Joh.XXI.* „ cum *Petro* habuit. Etenim ANTE dixerat „ omnibus *Joh. XX. v.* 21. *Sicut miſit me Pa-* „ *ter, & ego mitto vos.... Adcipite Spiritum* „ *Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittun-* „ *tur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* „ His verbis Apoſtolos conſtituit, ut ita lo- „ quar, juris & loci ſui poſſeſſores, Miſſioni, „ quam ipſe a Patre adceperat, aequalem eis „ conferens, ut ſcilicet peccata abolerent, ac „ juſtitiam inter homines inſtaurarent, Spiritum „ Sanctum, cujus ſolius virtute haec fieri po- „ terant, eis inſufflans. Nihil tantae aucto- „ ritati adjici, aut cujuſquam egere poterat „ haec divina Miſſio „. Quid enim abſurdius, quam aliquod *peculiare, & a ceteris diſtinctum munus* Petro collatum fuiſſe *Joh. XXI.* ſi haec verba *Paſce oves meas, quocumque ſenſu adcipiantur, nihil majus latiuſve potuerunt exprimere poteſtate illa, quam omnibus ſimul Apoſtolis Salvator contulit, ſive* ante, *ſive* poſt *colloquium, quod* Joh.XXI. *cum* Petro *habuit?*

si nihil tantae auctoritati adjici, aut cujusquam egere poterat haec divina Missio? Vere de tui similibus *idem Schubertus* (*p.*234.): *ex verbis:* Dabo tibi claves Regni Coelorum; pasce oves meas, *demonstrare volunt Primatum* Petri. *Et tamen fatentur, quidquid* Petro *his verbis promissum aut datum esset, reliquos quoque Apostolos adcepisse, quum Christus ad eos diceret:* Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos; *hoc est plenam & aequalem potestatem*. Quantus iste sermonis, ac judicii conflictus!

Specimina alia.

X. Quid vero illud, singulos Apostolos modo falli nescios, modo errori obnoxios statuere? Utrumque enimvero mira sententiarum pugna statuisti, *Febroni*. Recole primum, quae Tomo III. p. 114. vere & orthodoxe tradidisti: *Testantur SS. Patres uno ore, Concilia ab Apostolis instituta fuisse ad dirimendas controversias, & reformandos mores, licet ipsi ad stabiliendam fidem Conciliis non indigerent, quia erant singuli divino Spiritu adflati. Ita Patres Concilii V. Oecumenici:* Confer nunc Tomum secundum (*p.* 180.), ac lege: *heic ne* (in) *errorem incidamus, observandum est, quod Christus Dominus conferens Apostolis Spiritum Veritatis, non intenderit* singulos *constituere depositarios* infallibiles *illius veritatis*; *hoc etenim si foret, sequeretur, singulos Episcopos, tanquam Apostolorum Successores, infallibiles esse*. Intelligis? Si Christus *non intendit* singulos *constituere Apostolos depositarios infallibiles veritatis*; utique errori singuli erant obnoxii: *si erant singuli divino adflati spiritu*, falli profecto nescii erant. Sed *per-*

pergis pugnantia secum
frontibus adversis componere (1)
Constans est, inquis (*T. III. p.* 158.) *SS. Patrum doctrina, Episcopatum in S.* Petro *suum habuisse initium, quippe qui in tota Ecclesia unus est, licet inter multos divisus: non quasi Petrus solus fuisset Episcopus, sed quia fuit primus, cui Christus promisit Episcopalem potestatem, ab illo receptam nomine totius Ecclesiae.* Bene est. Verum ut a duobus, iisque difficillimis SS. *Leonis* & *Innocentii* I. locis te expedires, paullo antea (*p.* 153.) scripseras: *attamen neque* Innocentius, *neque* Leo *loquitur de fonte, principio, atque dono* potestatis Episcopalis; *siquidem certum sit ex ordine Evangelistarum, hanc prius communiter a Christo collatam fuisse Apostolis, quam adcesserit praerogativa, seu principalitas* Petri *in eadem communione*; *non obstante, quod ex Discipulis* Petrus *primus a Christo vocatus fuerit*. Haec autem non admodum consentanea esse ni vides, coecus omnino es, mi bone. Si enim *Petrus* fuit *primus, cui Christus promisit Episcopalem potestatem, hancque recepit nomine totius Ecclesiae,* an non satis id erat, ut (quod supra negaveras) *Innocentius*, ac *Leo loquerentur de fonte, principio, atque dono potestatis Episcopalis*? At certum est, inquis, ex ordine Evangelistarum, potestatem Episcopalem *prius communiter a Christo collatam fuisse Apostolis, quam adcesserit praerogativa, seu principalitas* Petri *in eadem communio-*

(1) *Horat. L. I. Sat. I.*

munione. Non abnuo. Verum quid si ea *communiter a Christo collata* per *Petrum* Apostolis fuerit? Non equidem ignoras, vir eruditissime, *Turrecrematae*, & *Bellarmini* (*de Rom. Pont. Lib. I. Cap. XXIII.*) hanc fuisse sententiam, quod *solus* Petrus *a Christo Episcopus ordinatus fuerit, ceteri autem a* Petro *episcopalem consecrationem adceperint*. Falsum tamen si vis, id dabo, modo ne inficieris, quod ex tertio tuo Volumine recitavi, *Episcopatum in S.* Petro *suum habuisse initium... quia fuit primus, cui Christus promisit Episcopalem potestatem, ab illo receptam nomine totius Ecclesiae*. Hoc enim si tandem tibi constans concedis; & Episcopatum in *beatissimo* Petro *Apostolorum summo* principaliter *collocatum, & ab ipso quasi quodam capite dona Christi veluti in corpus omne diffusa* cum *Leone*, & cum *Innocentio* per *Petrum* & *Apostolatus*, & EPISCOPATUS *in Christo coepisse exordium*, seu potestatis Episcopalis *Petrum* in Christo *fontem* & *principium* fateberis; licet eam potestatem *prius communiter a Christo collatam fuisse Apostolis* (nec per *Petrum* eos Episcopos consecrantem), *quam adcesserit* (reipsa) *praerogativa* seu principalitas Petri (antea *Petro* ut Ecclesiae capiti desponsa) dicamus. Cur enim primus fuit *Petrus*, cui Christus Episcopalem promiserit potestatem, eamque ille promissionem Ecclesiae atque adeo Apostolorum nomine adcepit; nisi quia, ut ait *Cyprianus* lib. de *Unit.*, *exordium* Episcopatus *ab unitate proficiscitur*? An non autem ipsissimum id hoc est, quod negas, *fontem* esse *Petrum*,

& *Epi-*

& *Episcopatus principium*? Sed tandem tam manifestam, turpissimamque dictorum inconstantiam dimittamus. Tu tamen cogitato, quem illi colorem obducas, ac quemadmodum salvo te honore iis e laqueis expedias. Nihil enim magis sapientem virum dedecet, quam miserrime incurrere in sese, & contrariis opinionibus quasi vinculis & compedibus implicatum haerere.

Mala Febronii fides.

XI. Heu! tamen nisi te

mala stultitia, & quaecumque inscitia veri coecum agit (1),

pudere te multo magis deberet *malae fidei*, qua Patrum Doctorumque sententias passim mutilas, aut in adversum plane sensum detorques; facta quoque nunc falsa pro veris obtrudis, nunc vera alienis, idest falsis coloribus pingis. Id tibi vitii saepius a tuis oppugnatoribus exprobratum fuerat; sed nullo fructu. Habeto exempla, quae dum recito, ne mihi irascare. Quid enim? Ego ne pudori tuo, quem omnem tute abjecisti, magis consulerem, quam veritati? Sed ad rem. Quamplurimas cum hoc tertio, tum secundo Volumine *Romanam* curiam inter, Regesque, ac Principes superiore, nostroque saeculo exortas discordias narras, quaeque hi adversus illam pro suis tuendis juribus egere, maximis laudibus extollis. Noli putare, me tam imprudentem esse, ut in haec me dumeta conjiciam. Iis ego te potius vepribus implicabo, a quibus vix incolumis elabaris. Ajo igitur, hoc quidquid est nonnisi per malam fidem ad

Specimen primum; quaestioni, quae super R.P. in Episcopospotestate potissimum agitur, Romanae Curiae cum Principibus discordias immiscere.

(1) HORAT. *Sat. III. Lib. II.*

ad eam, quae de *legitima potestate* Romani *Pontificis* nos inter & te agitur, quaestionem potuisse traduci. Ea enim quaestio Episcopos potissimum spectat. Id ex te didici, qui in tertii Tomi praefatione *Italum Capuccinum* non immerito laudans ais! ,, Sed nec eo capite hic ,, Theologus laude vacuus dimittendus est, ,, quod, quae alii ejus in hac arena focii incertis involvunt verbis, & contortis saepe ,, phrasibus, ille aperto sensu, plenaque exponat sinceritate, ita ut cum eo de objecto ,, disputationis minime altercandum veniat. Sic ,, pag. 49. *Quaestionis*, inquit, *summa haec* ,, *est: an praeeminentia Pastoralis* Petri, *relate* ,, *ad curas Pastorales ceterorum Apostolorum* ,, (*idem intelligitur de officio Papae pastorali* ,, *respective ad Episcopos*) *sit talis, ac tanta,* ,, *ut formam Monarchicam praeseferat*. *Nos* ,, *adfirmamus*,,. Ad Principes igitur quod adtinet, antequam cum eorum dignitate Romani Pontificis acta conferantur, dispiciendum primo, num Ecclesia in Principes, atque illorum de rebus, bonis, caussisque Ecclesiasticis leges aliquid sibi esse auctoritatis senserit. Si enim in Conciliis cum Provincialibus, tum Oecumenicis Ecclesia hanc sibi potestatem (jurene an injuria, alia disceptatio est, quam ingredi non sit necesse) perpetuo vindicavit; quo spectat haec tua in *Romanos* Pontifices vehemens hisce de rebus objurgatio, nisi (quod neque Catholici, neque satis honesti viri est) ad invidiam illis conflandam? Nam quum *Romanos* Antistites canonum Exequutores, custodes, vindices

dices plenis, ut ajunt, buccis tu ipse praedices, quid aliud illis facere licuit, quam ut suas ad Ecclesiae sententiam Constitutiones adcommodarent? Enimvero quis super his controversiarum capitibus Ecclesiae sensus fuerit, nosse si cupis, excute *Sirmondi* Gallicana Concilia, Germanica *Hartzheimii*, Anglica *Wilkinsii*, *Peterfiy* Hungarica; excute veteres generales Lateranenses Synodos, excute non *Tridentinam* modo, sed illas, quae tibi valde solent in ore esse, *Constantiensem* ac *Basileensem*; invenies canones, qui te pudore suffundent. Si librum, *Febroni*, *de legitima Ecclesiae potestate* edidisses, in illumque, quae Principum caussam juvare possunt, omnia contulisses, tibi non difficilis ignoscerem. At *Romanos* Pontifices cum Regibus, ac Principibus in ea re, quae ad universae Ecclesiae cum primis auctoritatem pertinent, dolo malo committi, in eosque omnem invidiosae quaestionis offensionem iniquissime derivari quis ferat? Plura hac de re dicere vetant alia, quae magno sese numero offerunt ejusdem malae tuae fidei argumenta.

Specimen II., rerum ad declarationem Cleri Gallicani spectantium fraudulenta narratio.

XII. Forte evenit, ut in paginam 267. incidam, ubi nonnulla indicas adversus celeberrimam a MDCLXXXII. declarationem *Romae* acta. „ Mirum, inquis, in modum hac *Gal-* „ *lorum* sanctione commotus Innocentius Papa, „ die II. Aprilis 1682. omnia, quae in dictis „ *Gallicanis* comitiis acta & definita fuere, re- „ scidit, cassavit, & interdixit. Ejus succes- „ sor *Alexander* VIII. morti proximus eadem „ decreta & arresta proscripsit per Bullam in- „ cipien-

,, cipientem *Inter multiplices*, nec non in Bre-
,, vi ad Regem Chriftianiffimum die 30. Jan.an.
,, 1691. Sed nec in fimplici prohibitione fte-
,, tere Pontifices. Nota eft pertinax illa ad
,, decennium protracta negatio Bullarum con-
,, firmationis, facta iis, qui memorato Cleri
,, decreto, a Rege etiam confirmato, fubfcri-
,, pferant, & dein ad Epifcopatus nominati
,, funt,,. Heus tu quid *pertinaciam* heic me-
moras? Vix ignoraffe te crediderim orationem, quam ad facrum Cardinalium coetum *Innocentius* XII. habuit 9. Januarii an. 1692. Ejus, fi meminifti, hoc erat initium: ,, Venerabiles Fra-
,, tres; tamdiu eft quod plurimas florentiffimi
,, Regni Ecclefias Paftoribus viduatas *intimo*
,, *cordis affectu miferemur*. Ex quo vero divi-
,, nae bonitati placuit ad praeexcelfum Apofto-
,, lici muneris culmen, & ad follicitudinem
,, omnium Ecclefiarum humilitatem noftram vo-
,, care, deplorabili fane tot animarum pericu-
,, lo confulere dies, noctefque adfidue cogita-
,, vimus; tandem quum pro graviffima rerum,
,, ac temporum difficultate non alia aequior ha-
,, ctenus occurrerit ratio huic neceffitati pro-
,, fpiciendi, de complurium Fraternitatum ve-
,, ftrarum confilio in eam fententiam ivimus,
,, ut ex eorum numero, quos nobis cariffimus
,, in Chrifto filius nofter *Ludovicus Francorum*
,, Rex Chriftianiffimus nominavit, illos dum-
,, taxat, qui fatis notis Cleri *Gallicani* Comitiis
,, anno 1682. habitis non interfuere, nec ini-
,, bi geftis, merito ab hac Sancta Sede repro-
,, batis, ullatenus adfenfere, quofque non
modo

,, modo ab ea labe immunes, ſed & alioquin ,, idoneos legitimis documentis fore conſtite- ,, rit, ad Eccleſiae regimen admitteremus ,,. Valent haec multum contra falſam pertinaciae criminationem, quam Apoſtolicae Sedi impingis. Anne enim *pertinaciam* dicere Catholicus vir poſſit Sedis Apoſtolicae non tam in avitis juribus, quam in receptis apud univerſas gentes dogmatibus adſerendis conſtantiam, conjunctam pari in adverſarios pietate ac benevolentia, qualem *Innocentii* adloquutio palam prodit? Sed cur qui tam ſaepe *Bertonios*, ceteroſque tuos defenſores appellas, hoc loco lectores non monuiſti, ut paginam 201. conferrent, ubi *Bertonius Gallicanorum* Praeſulum, qui comitiis interfuerant, palinodiam, litteraſque ea ſuper re ad eumdem *Innocentium* a piiſſimo Rege *Ludovico* XIV. perſcriptas indicat? Nempe lectores horum non meminiſſe tua tunc intererat, ut Curiae *Romanae* facilius iraſcerentur. Videarne tibi plus aequo infenſior, ſiquid malae fidei ſub hoc ſilentio latere conjecero? Quamquam & altero illo loco de duobus his monumentis nullo potius, quam quo feciſti modo, loquutum te fuiſſe praeſtitiſſet! adeo indecore, malevole, & callide Capuccino inſultas *memoranti*, ut ais, *de revocatione Decretorum ejuſdem conventus a Rege* Ludovico *XIV. praetenſe facta in litteris* 24. *Septembris* 1693. *ad Papam ſcriptis, demum de vi & efficacia Epiſtolarum deprecatoriarum, tunc ad* Innoc. XII. *ab iis, qui in ipſis Comitiis decreto Cleri ſubſcripſerant, exaratarum*. O *Germani* candoris dede-

dedecus! quid *revocationem* a *Ludovico* XIV. *praetense factam* appellas? Audesne de litteris, quas ad *Innocentium* XII. magnus ille Rex perscripsit, non a *Viatore* solum, aut ab *Antifebronii vindicati* Auctore, sed a *Dupinio* quoque tuo redditis dubitare? an *Ludov.* XIV. existimas, summo Pontifici illudere voluisse, dum *irritum, & effectu vacuum* fore suum de declaratione illa servanda edictum Sanctae Sedi promisit? Illud etiam vide, quantam *Gallicanis* Episcopis injuriam irrogaveris, qui eos nulla gravitatis suae, nulla pudoris, nulla conscientiae ratione habita epistolas ad eumdem *Innocentium* deprecatorias misisse *vi & efficacia* destitutas, *Innocentio* nempe XII. seu potius *Petro* turpiter mentitos fuisse deblaterasti.

Specimen tertium; corruptus Innocentii I. *locus.*

XIII. Illos scilicet tui similes tibi fingis, qui etiam admonitus mendacia iteras. „ Audiamus, inquis *p.* 110. Innocentium I. „ qui epist. 24. n. 4. rem paucis distincte ex„ plicat, quum responsis ad *Alexandri Antio*„ *cheni* consultationes datis adjungit: *Gravi*„ *tas itaque tua haec ad notitiam Coepiscopo*„ *rum, vel per Synodum, si potest fieri, vel* „ *per horum* (litterarum) *recitationem, faciat* „ *pervenire*, VT OMNIVM CONSENSV STV„ DIOQVE FIRMENTVR „. Heic mendacium latet; non enim FIRMENTVR, ut ut uncialibus litteris illud expresseris, sed SERVENTVR legitur in *Innocentii* epistola, quam ex *Coustantio* recitas; atque in hanc unam lectionem Codices omnes consentire vel id argumento fit, nullam verbo *serventur* ab ipso *Coustan-*

tio

tio variantem lectionem adscribi. Verum quod gravius est, ac majore reprehensione dignum, fueras hujus mendacii, quod in primo quoque Volumine admiseras *Cap. II.* §.8. *n.*5., ab Auctore *Antifebronii* his verbis convictus *p.*11.*Lib. II. Cap. III. n.* 6. *pag.* 430. *Caesen. edit.* ,, *Febbronio* legge *confermate*, come appunto il ,, P. *Coustant* mostra nella Prefazione alle let- ,, tere Pontificie di aver letto; anzi da quel ,, dotto *Benedettino* senza citarlo trascrive ,, questa riflessione; *ma dove ci è consenso*, ,, *ivi ancora si suppone facoltà di deliberare e* ,, *di dissentire*. Ma il *Benedettino* scrisse *fir-* ,, *mentur* per isbaglio, *Febbronio* lo ha per ,, malizia ritenuto. Perocchè quegli cita solo ,, la lettera, ma poi nel pubblicarla stampò ,, *serventur*; questi non solo cita la lettera, ,, ma anche la pagina, ove è stampata, e ,, nondimeno avendoci letto chiaramente *ser-* ,, *ventur*, torna a rimetter nel testo il *firmen-* ,, *tur*, che per errore era nella Prefazione sfug- ,, gito a quel celebre *Benedettino*. Nò. *Inno-* ,, *cenzio* non volea, che le sue leggi fossero ,, *confermate*, ma *osservate* con comune con- ,, senso, cioè da tutti ,,. Quid faciam tibi, postquam *Zachariae* admonitu nihil cautior factus, quae tum peccaras, ad eadem ipsa revolveris?

Specimen IV. Decretorum Constantiensium adprobatio

XIV. Atque utinam non in re multo graviore idem objicere crimen tibi deberem! Verum quid illis mendacius, quae de *Eugenio* IV. narras *p.* 138.? ,, Cum in Conventu Francofurtano dicti anni 1446. Legati Pontificis ,, *Eu-*

Eugenio IV. temere & falso adserta, ac tribus mendaciis explicata.

„ *Eugenii* IV. Imperatorem & Principes Im-
„ perii, universam nationem repraesentantes,
„ a sua, in qua ab octennio hactenus persti te-
„ rant, neutralitate revocare, & ad obedien-
„ tiam eidem *Eugenio* praestandam pertrahere
„ conarentur, unanimi consensu conclusum
„ est, *Germanos* imposterum *Eugenium* pro
„ vero Pontifice agnituros, dummodo ille non-
„ nulla nationi concederet; quae etiam *Euge-*
„ *nius*, dum ad se per solemnem Legationem
„ ab Imperio deputatam deferrentur, auditis
„ in Consistorio secreto Legatis, indulsit. In-
„ ter hos a *Germanorum* Legatis propositos, a
„ Papa adceptatos articulos duo erant notabi-
„ liores: Primus, *ut novum quoddam genera-*
„ *le Concilium in* Alemanniae *partibus*, *in*
„ *uno de quinque locis*, *videlicet* Constantia,
„ Argentina, Moguntia, Wormatia, Trevi-
„ ris *propter Ecclesiae necessitates convocaretur*.
„ In altero profitetur Pontifex, *se Concilium*
„ *generale* Constantiense, *decretum* FRE-
„ QVENS, *ac alia ejus decreta*, *sicut ce-*
„ *tera alia Concilia Catholicam militantem Ec-*
„ *clesiam repraesentantia*, *ipsorum potestatem*,
„ *auctoritatem*, *honorem*, *& reverentiam*, *si-*
„ *cut & ceteri ejus Antecessores*, *a quorum*
„ *vestigiis deviare nequaquam intendit*, *susci-*
„ *pere*, *amplecti & venerari*: Hoc Breve Apo-
„ stolicum nonis Febr. an. 1447. datum ad *Fre-*
„ *dericum Romanorum* Regem, *Theodoricum*
„ Archiep. *Moguntinum*, & *Fredericum* Mar-
„ chionem *Brandeburgensem* prostat apud *Ray-*
„ *naldum* ad ann. 1447. n. 5. & alios „. Tum
me-

memorato, quod vocant, *Eugenii* IV. *Salvatorio* subjungis *p.* 140. ,, Cum non obstante hoc ,, Salvatorio, neque in his Concordatis *Eugenii* IV., neque in illis *Nicolai* V. (de quibus mox) nec per posterius aliquod Concilium, circa ea, quae per eumdem *Eugenium* ,, Nationi *Germanicae* declarata & promissa ,, fuerunt, quidquam noscatur immutatum, ,, aut retractatum, sponte sequitur, nihil in ,, hisce concessis offendi, quod regulis & doctrinae SS. Patrum, aut essentiali aut inabdicabili Sedis Apostolicae auctoritati & privilegiis deroget; eorum proinde valorem & ,, constantem *obligationem pactitiam* a Natione ,, jure optimo urgeri & manuteneri posse. Tantum autem abest, ut his per concordatum ,, Aschaffenburgense, anno 1448. inter *Nicolaum* V. & *Germanicam* Nationem initum, ,, derogatum dici valeat, ut potius & ex contrario primum illud hac in parte per secundum verbis ejus finalibus innovatum & roboratum existat. Verba hujus sunt: *In aliis* ,, *autem, quae per felicis recordationis Dominum* Eugenium *Papam quartum pro Natione praefata, usque ad tempus futuri Generalis Concilii permissa, concessa, indulta,* ,, *atque decreta, & per memoratum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam* Nicolaum ,, *confirmata fuere, in quantum illa Concordiae* ,, *praesenti non obviant, ista vice nihil exstitit immutatum* ,,. Ex his porro illud sponte fluere existimas, quod *p.* 136. adserueras ,, supremam universalium Synodorum auctorita-

 ,, tem

,, tem esse *unum ex praecipuis articulis Con-*
,, *cordatorum* Germaniae ; consequenter eam-
,, dem non solum ab hac Natione tamquam ve-
,, ram & legitimam agnosci , sed & ejusdem
,, auctoritatis pondere ac nexu ex publico &
,, solemni in hanc usque diem perdurante pa-
,, cto , *Romanum* Pontificem ligari ,, ; hincque
addis *p.* 142. ,, privatis Doctoribus minime per-
,, mittendum , ut sententias dictis Decretis con-
,, trarias , sive e cathedris , sive impressis li-
,, bris tradant , aut eorumdem Decretorum vi-
,, gorem per scholasticas distinctiunculas & sub-
,, tilitates spiritui legis & Concordati adversas ,
,, quoquo modo enervent ,, . Mendacia omnia,
quae tamen pridem effutiisse *T. II. p.5.*, immo
& *T. I. Cap. VI.* §. 16. *n.5.* tibi satis non fuit,
sed iterum Tomo III. impavidus eructas *p.*275.
ut non bis tantum aut ter , sed quater ad eum-
Mendaciū primum. dem , quod ajunt , lapidem offenderis . Mendacium primum , *Eugenium* se Concilii generalis auctoritati ex *Constantiensibus* decretis a se probatis obnoxium agnovisse. Aliquanto pacatiore animo confer cum oratorum , quos ad *Eugenium* inclyta tua Natio miserat , petitione ipsius *Eugenii* responsum . *Alterum est* , ajebant illi apud *Raynald.* ad an. 1447. n.2. , *ut professio potestatis , auctoritatis , &* PRAEEMINENTIAE *generalium Conciliorum Catholicam militantem Ecclesiam repraesentantium per tuos Oratores facta tuis litteris adprobetur*. Quid vero illis *Eugenius*? *Concilium generale* Constantiense , *decretum* FREQVENS , *ac alia ejus decreta , sicut cetera alia Concilia Catholicam militan-*

litantem Ecclesiam repraesentantia, ipsorum potestatem, auctoritatem, honorem & eminentiam, sicut & ceteri antecessores nostri, a quorum vestigiis deviare nequaquam intendimus, suscipimus, amplectimur, & veneramur. Adi jam *Antifebronium vindicatum* (*T.II. pag.*282.), haec invenies, quae rem nostram conficiunt. ,, Primum (*Eugenius*) non *Praeeminentiae* ver- ,, bo utitur, quod Conciliorum potiorem Pon- ,, tificia auctoritatem indicare poterat, sed ,, *honorem* & EMINENTIAM appellat; quae ,, nomina nemo Pontificiae dignitatis studiosis- ,, simus usurpare abnueret, neque Legati pro- ,, pterea conquesti sunt. Deinde Concilium ,, *Constantiense*, Decretum *Frequens* (a tribus ,, obedientiis conditum) ac alia ejus decreta ,, suscipit, sed *sicut ceteri antecessores nostri*. ,, Porro *Martinus* ea solum *Constantiensis* de- ,, creta susceperat, quae *conciliariter*, & *in* ,, *materia fidei* edita fuerant; cujusmodi non ,, fuisse, quae *Constantiensis* auctoritatem fir- ,, maverant,, exploratum est. Ipsimet *Germani* mitiores facti ad *Eugenianum* responsum petitiones ejus successori *Nicolao* V, exhibitas reformarunt. Praesto tibi esse Illustrifs. ab *Hontheim* historiam diplomaticam non dubito: auctor tibi est adprime carus. Vide ergo Tomo II. *pag.*409. JACOBI *Electoris* Trevirensis, & *aliquot* Germaniae *Principum Avisamentum de eo, quod sibi videtur dirimendo schismati* aptissimum. *Item*, inquiunt, *instabit Dominus Rex* Francorum, *quod S. D.* Nicolaus *Papa V.* Constantiensis *decretum* Frequens, *& alia ejus de-*

 cre-

creta, *sicut cetera Concilia Catholicam militantem Ecclesiam repraesentantia*, *ipsorum potestatem*, *honorem*, & EMINENTIAM (non *praeeminentiam*, quod verbum Oratores usurparant) SICVT ET CETERI ANTECESSORES SVI, *suscipiet*, *amplectetur*, & *venerabitur*. Non amplius de absoluta decretorum *Constantiensium* adprobatione sermo est; ea tantum petitur adprobatio, quae ad antecessorum suorum exemplum exigeretur. En ergo aliquid *immutatum*, quod negaveras. Mendacium secundum, ex verbis illis, quae a te reddita vidimus, concordati *Aschaffenburgensis*, *Eugenianum* responsum omnino perstans intelligi. Exstant scilicet apud P. *Hartzheim T.V. Concilior. Germaniae* p.382. *Eugenii* litterae, quarum initium *ad tranquillitatem*, uti etiam *p*.390. ejusdem Constitutio: *inter cetera desideria*. Hae porro Constitutiones si cum *Aschaffenburgensibus* pactis comparentur, non pauca in utroque diplomate deprehendemus, quae pactis illis minime continentur. Quaenam igitur caussa esse potest, cur ea verba ad *Constantiensium* decretorum confirmationem trahamus? Immo vero ut illa de aliis omnibus interpretemur, certissima nos ratio cogit. Quid enim? An non de iis agitur, quae *usque ad tempus* FVTVRI *generalis Concilii permissa*, *concessa*, *indulta*, *atque decreta fuerant*? Quei igitur inter haec decretum FREQVENS, multoque magis Conciliorum veneratio percenseatur? eritne aliquis, nisi emota mente sit, qui *Eugenium*, ac *Nicolaum* se generalia Concilia veneraturos *usque ad tempus futu-*

Mendaciũ secundum.

futuri generalis Concilii recepisse contendat ? quasi generalium Conciliorum adprobatio ejus generis sit, quae aut temporum spatiis contineatur, aut a quoquam insequente Concilio reformari possit. Quamquam si *Eugenianum* responsum heic spectari praefracte velis, dabo; sed responsum intellige, qua demum germana ratione fuit a me paullo antea explicatum: quid inde efficies ? Mendacium tertium, Conciliorum generalium in *Romanos* Pontifies auctoritatem ejusmodi dogma esse, a quo *Germanis* Doctoribus nefas sit dissentire. Nemo scilicet ante *Bertonum*, ac *Febronium* in *Germania* fuit, qui Concordatorum vim adsequeretur. O fortunatam *Germaniam*! Huic tandem *Febronianae* lucis ope tenebras discutere licet, quibus suae Nationis concordata hactenus obducebantur. Sed Ironiae sit satis. Tu nimirum callidissimus veterator tuis hisce commentis in apertam seditionem *Germaniae* tuae Principes vocas.

Mendaciũ tertium.

> *Libera si dantur populo suffragia, quis tam perditus, ut dubitet* Senecam *praeferre* Neroni (1)?

Igitur inquis, *Germaniae* Theologis, & Jureconsultis non amplius per Principes integrum sit *Romanorum* Pontificum in ipsas Oecumenicas Synodos potestatem tueri. Nisi enim id docere Academiae prohibeantur, irritus meus erit omnis conatus. Nam ecquis inter *Germanos* adeo hebes sit, qui Concordatorum obtentu in re post exstincta *Basileensis* odii semina apud *Viennensem*, *Coloniensem*, *Moguntinam*,

(1) *Juven. Sat. VIII.*

Ingolstadiensem, ceterasque illustrissimas suae gentis Academias rata & constituta imponi sibi patiatur? Verum, *Febroni*, norunt, mihi crede, *Germani* tui, *quantum distent aera lupinis*, neque ii sunt, qui veritatem ejusmodi constringi vinculis diutius sinant. Nationis ipsi tuae Principes tuorum dogmatum novitate delectari aliquando possunt, dum ad ejus virus pernoscendum gravissimis rei publicae curis distracti animum non adjecerint; sed majorum tandem exemplis, suaque ipsorum in *Romanam* Sedem observantia excitati ubi dolos a te adhibitos intellexerint, te tuasque artes justissimo odio prosequentur. Hunc demum tui operis fructum exspectato.

Specimen V. malitiosum veteris renovandae disciplinae studium.

XV. Illud equidem Principum auribus non insuave occinis p. 119. *Sane nullus, nisi communis sensus expers, ambigere potest, quin Imperatores, tamquam Juris divini, Naturalis, & Canonici vindices, atque communes Episcopi externae disciplinae, jus habeant cogendi Ecclesiasticos ad Legis divinae, Naturalis, & Canonicae exequutionem*: quorum similia ea sunt p. 178. *hinc Princeps, qua exequutor Canonum, etiam non exspectato Ecclesiae mandato seu requisitione, ad horum Canonum exequutionem procedere potest ... descendit hoc jus temporalium Potestatum ex jure protectionis & advocatiae, consequenter ex jure divino*. Verum & ista nonnisi malam tuam fidem confirmant. Quo enim spectant? ut *reducatur* (utor tuis verbis Tomo II. p. 553.) *disciplina & regimen Ecclesiae ad terminos quatuor primorum Conciliorum*.

Nem-

Nempe *nunc omnia*, inquis in hoc ipso tertio operis Tomo (*p.258.*) *immutata & tam confusa sunt, ut veterem Ecclesiae faciem vix valeas agnoscere*, licet enim (pergis dicere *pag.* 259.) *quaedam praeclara decreta a* Tridentina *Synodo emanaverint, attamen per ea effectum nondum est, ut Ecclesiastica disciplina ad pristinos mores componeretur. Itaque* (concludis *p.* 262.) *si Principes sub velo pietatis aut religionis negligerent tantas corruptelas reprimere, atque sacros Canones defendere, eo citius certiusque Sancta Religio nostra rueret; proinde illi se tanti mali participes, & gravis noxae reos constituerent*. De hocce tuo *Juris* antiqui *corpore*, quod *purum* appellas, multa, eaque observatu digna invenies *Antifebr. vindic. T. III. Diss. VI. Cap. IV. num.* 11. *seq.* Sed illa omitto; mihi fallaciae tuae sunt heic tantummodo detegendae. Audi igitur, quid mihi in mentem venerit. Caesari, Regibus, ceterisque Catholicae Europae principibus libellum supplicem tuo nomine offerre constitui. Erit ille hujusmodi, prooemio ex Tomi tui primi praefatione mutuato.



IUSTI-

IVSTINI FEBRONII

Libellus supplex Regibus, & Principibus Christianis datus super veteris disciplinae restitutione.

„ QUisquis me de bono Catholicae religio-
„ nis &. generali sacrorum in *Europa* pu-
„ rificatione meditantem, ac pro ea vota, ver-
„ baque facientem audire volet, is unicam ad
„ desideratissimum hunc finem semitam supe-
„ resse existimet, ut omnis materia *disciplinae*
„ reducatur ad eum statum, quo fuit, ante-
„ quam adversarii nostri de injusto jugo ex ex-
„ cessu potestatis haberent non infundatam
„ querendi materiam. Sublatis his scandalis
„ (quae quidem per se, tamquam ab Ecclesia
„ numquam adprobata, non debuissent, nec
„ potuissent dare fundatam ansam scindendae
„ unionis, attamen, prout nunc res sunt, plu-
„ rimorum animos ita occupant, ut propterea
„ sinum matris horreant) adparebit Religio
„ nostra, omnibus, iis maxime, qui Evange-
„ lio credunt, qualis vel ipsis Ethnicis visa
„ est, sancta & amabilis. Verum id absque
„ vestro praesidio obtineri quei possit? *Redeat*
„ *in memoriam* Constantinus *Imperator Christia-*
„ *nus: quem famulatum exhibuerit* Deo: *quae*
„ *habuerit vota, ut remotis schismatibus, in-*
„ *termortua omni dissensione, sub toto coelo fi-*
„ *lios suos gaudens in uno videret sancta Ma-*
„ *ter Ecclesia. Reddiderat unam communionem,*
mari-

„ *maritis uxores*, *parentibus filios*, *fratribus*
„ *sorores*. Hunc eundem famulatum exhibere
„ Deo, eosdem jucundissimos fructus percipe-
„ re, eamdem communionem reddere, in ve-
„ stra, Serenissimi Principes, est potestate:
„ Interea quos ego veteris Ecclesiae Canones,
„ usus que vestra auctoritate restitui maxime
„ velim, adcipite „.

1. „ Visum est per singulos annos in singulis quibusque Provinciis bis in anno Episcoporum Concilia fieri „. *Conc.* Nic. *Can.* *V.* Chalced. *Can. XIX.*

2. Praeterea. „ Ut propter caussas ecclesiasticas, quae ad perniciem plebium saepe veterascunt, singulis quibusque annis Concilium (plenarium seu Nationale) convocetur: ad quod omnes Provinciae, quae primas sedes habent, de Conciliis suis ternos legatos mittant „. *Conc.* Carthagin. an. 392. *Can. V.*

3. Vicarii Apostolici in *Galliis*, *Germania*, *Hispaniis*, aliisque Regnis ex veteri *Siricii*, *Zosimi*, *Leonis*, aliorumque, qui multo ante *Isidorum* floruerunt, *Romanorum* Pontificum disciplina ab Ecclesiis recepta constituantur. In his vero, quae *ad Ecclesiasticam pertinent disciplinam*, Vicario Apostolico parebunt omnes Episcopi. Ad Synodum quicumque fuerit evocatus occurrat, nec congregationi se deneget, in qua ad Deum pertinentes caussas noverit esse tractandas ... Quidquid caussarum, ut adsolet, inter Consacerdotes evenerit, ejus, cui vicem suam Papa commiserit, examini refer-

servetur: ut illo sub Dei timore praesule, omnis ambiguitas finiatur. Eum quoque Episcopi *de ordinando Antistite* consulent. Illi autem Metropolitani Episcopi consecratio reservetur. Praeterea ipse *secundam definita Canonum de Statu Ecclesiarum* certiorem subinde sua relatione summum Pontificem faciet. Siquae vero caussae graviores, vel appellationes emerserint, eas sub ipsius relatione ad Papam mitti debere decernatur, ut Pontificia secundum Ecclesiasticum morem sententia finiantur. *Ex S.* Leonis *M. Epist. V. ad Episcopos Metropolitanos per* Illyricum *constitutos*.

4. Quisquis Episcoporum vel Clericorum, quum in Ecclesia ei fuerit crimen impositum, vel civilis caussa fuerit commota; & is relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro illo fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio. In civili vero, perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos judices undique Ecclesiae patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de judicio saeculari poscit auxilium: quum privatorum Christianorum caussas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari praecipiat. *Concil.* Carthag. *an.* 392. *Can. IX.* & Chalcedon. *Can. IX.*

5. Quae Deo semel sacrata sunt Monasteria secundum Episcoporum consensum, oportet in perpetuum Monasteria nuncupari, & eorum res Monasteriis reservari, & non posse

se ulterius coenacula secularia fieri: si qui vero hoc fieri permiserint, canonicis interdictis subjaceant. *Concil.* Chalcedon. Can. XXIV.

6. Omnes Clerici Ecclesiae suae incardinentur, quae universa bona in communi administrabit. Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium prout cujuslibet Ecclesiae facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones, quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis adplicanda. De quibus sicut Sacerdotis intererit integram Ministris Ecclesiae memoratam dependere quantitatem: sic Clerus ultra delegatam sibi summam, nihil insolenter noverit expetendum. *Constituta Gelasii* Papae cap. XXIII. Sic igitur cum pluralitati beneficiorum, tum Regaliae, & primariarum precum juri aditus in perpetuum praecludetur.

7. Placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum etiam Oeconomum habere de proprio Clero, qui res Ecclesiasticas dispenset cum consensu Episcopi sui: ne quum dispensatio sine testimonio fuerit, res Ecclesiasticae dispersae sint ad contumeliam Pontifici irrogandam; si vero hoc non fecerint, eos sanctis esse canonibus reos. *Conc.* Chalced. *can.* XXVI.

8. Poenitentibus secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio poenitentiae (publicae) tempora decernantur. Et ut Presbyteri inconsulto Episcopo non reconcilient poenitentes, nisi absentia Episcopi, & necessitate cogente. Cujuscumque autem poenitentis

tis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur. *Concil.* Carthag. *ann.* CCCXCVII. *cap.* 30.

9. Praeter jejunia Quadragesimae, aliaque dudum praescripta, sexta feria, & sabbato singulis hebdomadis jejunandum. *Ex epist.* Innoc. I. *ad* Decent. *cap.* 4.

10. Non solum a carnibus, ovis, lacte, caseo, idque genus ceteris, sed etiam a vino jejunantes abstineant. *Ex* Theophili Alexandr. Paschali *epist.* III. & *Concilio* Gerundensi *a.* DXVII.

11. Jejunia autem non solvantur nisi sub solis occasum Vesperis decantatis: *Concil.* Cabillon. *cap.* V.

12. Vespertina collatiuncula, quae majoribus nostris ignota fuit, omnino aboleatur.

„ Hanc ergo disciplinam, Serenissimi „ Principes, ut omni ope revocandam curetis, „ oro atque obsecro. *Papa* quidem *suo sen-* „ *sui* (1) *& praejudiciis, quibus innutritus* „ *est, tam firmiter inhaerebit, ut sperari mi-* „ *nime valeat, futurum, ut ab illis absce-* „ *dat*. Si Princeps hanc justam defensionem „ veterum canonum abijciendam, aut negli- „ gendam putaret, hoc a prudentioribus non „ immerito adtribueretur aut damnabili illius „ incuriae, aut defectui animi innovationibus „ Romanae Curiae resistendi, quae per hoc „ au-

(1) *Febronii* verba *Tomo III. pag.* 260.

„ audacior reddita, Ecclesiae amplius nocere „ non omitteret (1). „

Age *Febroni*, quid ad haec dicturos Principes putas? Hoc unum, crede, hominem te aut insanissimum aut audacissimum esse, qui antiquitatis obtentu turbare omnia velis, Principum jura evertere, populos durissimis legibus fatigare. At tu ne despondeas animum: urge illos pro tuo antiquae disciplinae studio, atque admone, ni faciant, se tantae corruptionis, qua undique obruimur, *participes*, *&* *gravis noxae reos* futuros. Si responderint, se Canonum, quibus praesens Ecclesia utitur, vindices esse; minime vero, inquies, quemadmodum tomo primo dixeras *p.* 743. „ Imperator, Reges, „ Principes vigore supremi & regii muneris „ vel ipso hoc declarante Concilio *Tridentino Sess.* *XXV.* *cap.* 20. *de reform.* jure di- „ vino sunt nati defensores & protectores „ *Ecclesiae*, idest, *Conciliorum* *&* *Canonum*, „ ad status Ecclesiae conservationem, & bo- „ num ordinem spectantium, Canonum, in- „ quam, *verorum*, non *spuriorum*, quos in- „ genti, ad nos usque propagato Ecclesiasti- „ ci ordinis & disciplinae detrimento confin- „ xit *Isidorus*. „ Constantia tua vincentur. Quorsum ista? Intelligas, velim, non esse cur de faustissima librorum tuorum fortuna tantopere tibi plaudas, uti facis *p.* 181. Tuarum fraudum fructus is est, non bonae caussae, quam tueri te simulas. Principibus nempe, eo-

(1) *Idem ibid. pag.* 261.

eorumque administris imponere potest pietatis ac religionis species, qua mendacissimas adsentationes tuas obtegis. Fac tamen (quod haud difficile eveniat), ut quo tantum veteris disciplinae studium vergat, penitius percipiant, omnes tuas fallacias excutiant, perniciem cum proposita sibi in Ecclesiam auctoritate conjunctam agnoscant; nihil non erit ab illis tibi, tuisque libris timendum.

Impudentia Febronii *singularis. Specimen primum, gloriatio de Protestantium laudibus.*

XVI. Ceterum infinitus sim, si quae edidisti, malae fidei argumenta persequi omnia dicendo velim. De his igitur hactenus. Ad impudentiam propero, qua temetipsum, malamque omnem tuam fidem plane vicisti. Verum hac in re unde ordiar, anceps haereo; tam multa undique me singularis hujus tuae, effraenataeque licentiae exempla circumstant. Inconsulta tamen illa gloriatio, qua laudes a Protestantibus in tuum librum collatas memoras *p.* 206. *seq.* dignissima est, quae primum exagitetur. Dixerat Larvatus auctor elegantis cujusdam libelli, quem tu *judicium* vocas satis ineleganter *protestantico-Jesuiticum*, *opus* Febronii *nec Protestantibus placere posse, nec Catholicis*. Id enimvero tuam modestiam pupugit. Quamobrem in medium adfers, quae in actis *Lipsiensibus* Eruditorum hominum de primo tuo volumine prostant, & quae *Fridericus* a *Moser* in suis quibusdam *Reliquiis* (non certe Sanctorum) tuo de opere scripsit, immo quum P. *Schmid*, *te ipsis etiam Protestantibus commendatum* appellasset, hunc Professorem hac in *parte suis Collegis sinceriorem*, & *aequio-*

quiorem gratus praedicas *p.* 278. Equidem eos, qui te a Protestantibus laudari consentiunt, cum illis, qui opus tuum Protestantibus placere non posse ajunt, multo minus, quam tu reris, pugnare crediderim. Video enim eos ipsos Protestantes, qui multis te laudibus sunt prosequuti, eo tandem delabi, ut ad illorum cum Romana Ecclesia componendas discordias frustra te laborasse pronuncient. Plura vide in *Antifebronio vindicato T. I. p.* 90. *seq.* Satis fortasse sit te admonere, ut *Lipsiensia* acta, quae appellas, diligentius recolas. Haec enim ibi legere est, quae hoc aperte innuunt: ,, Nos ,, vero hanc ipsam operam, a doctissimo Au- ,, ctore, cujus insignem rerum, quae formam ,, Ecclesiae, & leges concernunt, peritiam ,, singulae non paginae, sed lineae produnt, ,, in tam arduo nec omni periculo libero ne- ,, gotio collocatam, satis mirari quidem & lau- ,, dare non possumus; neque tamen omnia ,, probare. Multa enim insunt, quae Pontifi- ,, ciam superstitionem adhuc sapere, & cum ,, fine, quem vir egregie cordatus sibi propo- ,, suit, minus convenire videntur, ut est to- ,, ta ejus de primatu doctrina, quae veremur, ,, ne quemlibet nostrum a consilio auctoris per- ,, sequendo deterreat. ,, *Schubertus* quoque postquam ab eruditione non minus, quam *a veritatis* (*Lutheranae* scilicet) *amore* te plurimum commendasset, ait tamen *pag.* 116. te *multa de potestate Ecclesiae & Pontificis retinuisse, quae a nobis* (Protestantibus) *merito improbantur*. Quod igitur tu homo acutissimus non perspexisti,

perſpicimus omnes, opus quidem tuum a Proteſtantibus, qua parte *Romanos* Pontifices calumniis adficis impudentiſſimis, laudari, omnino tamen illis non probari; ut vere loquantur tum qui commendari, tum qui non placere illud Proteſtantibus adferunt. Hoc tamen noſtra nihil refert. Illud permagni intereſt, Catholicum virum de Proteſtantium laudibus ſibi plaudere potuiſſe. *Horrent*, ut cum Auctore *Antifebronii vindicati* loquar *T. I. pag.* 7. *horrent etiamnum noſtrorum hominum aures, dum* Launojum, *atque* Dupinium *heroes* Febronio *laudatiſſimos a Proteſtantibus audiunt* teſtibus veritatis, *haereticae nimirum falſitatis adnumerari*. An non perfrictae frontis ſit de ejuſmodi laudibus plauſum gloriamque captare?

Specimen ſecundum, ſcriptorum qui Pontificis Romani *cauſſam tuentur, ut* S. Franciſci Saleſii, *contemptus*

XVII. Aliud nunc tuae impudentiae genus agnoſce. Scriptores, qui Pontificiam auctoritatem tecum laceſſunt, aut etiam convellunt, ut *Fleury*, *Van-Eſpen*, judice te (*p.*247.) *tanti meriti viri ſunt*; *Paullus* ipſe *Sarpius* (p. 249.) *vir magnus audit*; *illuſtris Thuanus* eſt (p.251.) Contra qui cum *Romanis* Pontificis cauſſam tuentur, hi nullius bonae frugis ſunt, vix homines puto: *Romani* vero (p. 248) *non ſunt adſueti legendis ſeu ruminandis bonis ſcriptoribus, quos ſaepe vix nomine noverunt*. O lacrymabilem Quiritum inſcitiam, qui *Moſeros*, *Nelleros*, *Seckendorffios*, idque genus Boreales Scriptores *vix* (de) mellito ipſorum *nomine noverunt*! Tu quidem in tertii tomi praefatione non diffiteris, evenire in *Germania* tua conſueſſe, *ut quae in Italia*

im-

imprimuntur, serius ad eas partes deferantur. Sed Scriptores nostri *boni* non sunt, nisi forte ab avita nostratium hominum in *Romanam* Sedem observantia desciverint. Non id ergo *Germanis* exprobrandum, si nostros Scriptores ignorarint. Sapienter tu quidem facis, qui *Romanis* eam ob rem salse irrideas.

Boeotum in crasso jurares aere natos (1)

Sed nimis fortasse in re seria jocati sumus. Tanta Pontificiorum doctorum, tanta *Romanorum* contemptio quo demum nomine, mi *Febroni* compellabitur? Stultissimam si dixero temeritatem, haud equidem censor immoderatus fuero. Quid vero, si ne sanctis quidem ipsis a te parcitum sit? modo *Romanorum* Pontificum dignitatem praedicarint. Recito locum tam inauditae apud Catholicos impudentiae. *Habet hoc*, inquis pag. 286. *habet hoc* Febronius *commune cum non paucis SS. Patribus, cum multis Catholicis primae eruditionis, praesertim Gallis, licet secus videatur* S. Francisco Salesio, *quem* Schmidius *hoc loco in subjecta nota citat. Fuit hic vir Sanctissimus magnus Asceta; an in studio critico Canonum & Conciliorum peraeque expeditus, dubitare licet.* Dubitare non licet, quin primi subsellii doctores sint *Van-Espenius, Gibertus, Sarpius*; an *S. Franciscus* Salesius *in studio critico Canonum & Conciliorum peraeque expeditus, dubitare licet.* Quam bene! Scilicet *Salesio Van-Espenii, Giberti, Rieggeri* laboribus proficere haud licuit, ut an hic vel il-

 le

(1) Horat. *epist. I. lib. II.*

le Canon Concilii, cujus nomine inscribitur, genuinus foetus esset. Num propterea magnus Theologus esse non potuit, & in Patrum Conciliorumque studio adprime versatus? Ridiculus sis, si id inficiere. Quei enim duo & septuaginta haerericorum millia, in hisque doctissimos Calvinianae sectae Magistros ad orthodoxam veritatem traduxisset? *Bezam* ipsum nonne suis argumentis pervicit, etsi miserrimo homini, ut erat libidinibus, & cupiditatibus fractus, ad veritatem, quam plane perspexerat, amplectendam animus defuit? Quamquam quid his opus, ut de *Salesii* doctrina atque eruditione nisi *Febroniis* dubitare non liceat? *Schmidius*, quem refellis, Polemicum *S. Salesii* opus appellat ex *Gallico* Sancti Episcopi holographo codice, qui in *Ghisianis* aedibus adservatur, ab *Augustino Maria Taja* Italice redditum, primo *Romae* editum an. 1710. Illud evolve, & quantum *S. Franciscus* in Patrum libris, atque Conciliorum canonibus fuerit eruditus, intelliges. Quid) quod ad rem, qua de agebas, *studium criticum Canonum* & *Conciliorum* inepte confertur. Nam *Schmidius Salesium* verba Christi: *dabo tibi claves &c.* interpretantem inducit. Num absque *studio critico Canonum & Conciliorum* haec legitime explicari nequeunt? *Studium criticum Canonum & Conciliorum* tibi, tuisque similibus permitto; malim ego *Salesio* ejus *studii* si placet experti adsentiri, quam vobis. Quid? Credamne *spiritu veritatis* ad rectam Evangelicorum verborum intelligentiam edoctos *Dupinios*, *Sarpios*, *Oberhauseros* potius, quam *S.Fran-*

S. Franciscum Salesium? Apage hujusmodi deliramenta. Utinam vero plane divinam *Salesii* prudentiam saltem imiteris! Copiam habeo litterarum, quas ille coelestis cujusdam sapientiae plenas ad Cardinalem *Burghesium* non tam adflictis sui temporis rebus medicam manum adhibiturus, quam futura, tuamque in primis seditionem quasi vaticinans an. MDCXII. scripsit. Eas ex apographo *Ghisiano* olim exscriptas mecum vir amicissimus communicavit. Tibi aliquot illarum particulas ante oculos statuere liceat, ut tua, si fieri possit, impudentia tandem aliquando reprimatur. „ Per avvisi particolari ricevuti da *Parigi* e di *Ginevra*, e „ per Libretti stampati in detti luoghi; si vede chiaramente, che quella disputa dell' autorità del Papa sopra li Regi si va tuttavia „ dilatando; come ancora quell' altra della comparazione delli Concilj con i sommi Pontefici, ed è chiaro, che la maggior parte „ de' Parlamenti, e d' Uomini di Stato, e Cattolici inchinano dalla banda, che è manco „ favorevole, o per dir meglio, ch' è più contraria all' autorità Papale: stimando, che „ sia più convenevole, e giovevole all' autorità Regale. E se le cose vanno innanzi, „ c' è pericolo, che non si facci una notabile „ perdita, e lamentabile divisione in quel Regno, e massimamente perche il Re in tre „ o quattro anni dovendo pigliare l' amministrazione di quel Regno, sarà facil cosa alla fazione di quelli, che sono contrarii all' „ autorità della Santa Sede, di piegarlo da quel-

 „ la

„ la banda, nella quale egli vedrà qualche ap-
„ parenza d' ingrandire le sue ragioni, essendo
„ gli uomini tanto inchinati alla superiorità
„ indipendente, come si vede, massimamente
„ in questi tempi; ed anche all' età giovanile,
„ che per natura è temeraria ed audace, se-
„ bene è da credere, che quel Re sia di buo-
„ nissima e Cristianissima inclinazione. Essen-
„ do poi quest' impresa di scuotere ogni giogo,
„ un mal contagiosissimo, passarebbe pian piano
„ di regno in regno, e di corona in corona,
„ come si vede, che altri simili mali sono pas-
„ sati: onde pare, che il pericolo sia grande.
„ Il rimedio non pare, che sia il volere col
„ mezzo di valenti Teologi disputare la que-
„ stione, perche quanto più sarà fervente la
„ disputa, tanto più si accenderanno gli animi,
„ e si farà grande la divisione: oltre che le
„ ragioni degli Avversarj sono grate all' orec-
„ chio de' Grandi, *non per esser vere*, ma per
„ esser giovevoli all' intento loro; *ne manche-*
„ *ranno Teologi*, che per diversi rispetti ab-
„ braccino la parte della divisione. Sicche il
„ rimedio più efficace sarebbe, che mentre go-
„ verna la Regina, ed il Consiglio, si trat-
„ tasse amorevolmente con lei dalla parte di
„ Sua Santità, che non essendo giammai nata
„ alcuna differenza tra sua Beatitudine ed il Re,
„ anzi Sua Beatitud. avendo in ogni occorrenza
„ mostrato un animo veramente paterno, affe-
„ zionatissimo, e desiderosissimo del bene, e stabi-
„ limento della grandezza di quella Corona, pur
„ adesso spuntino certi cervelli pungenti, inquie-
„ ti

,, ti, e nemici della Santa Unione, che tra
,, Sua Santità, e sua Maestà si trova, che vengono imprudentemente a ridurre in dubio,
,, se Sua Santita sia affezionata a quella Coróna,
,, movendo quelle inutili, e intempestive dispute, per mezzo delle quali generano negli animi infermi, e deboli diffidenza del sincero
,, affetto di sua Beatitudine verso il Re, ed il
,, Regno. Che pertanto sia contenta sua Maestà
,, d' imporre silenzio a tali temerarie e sediziose dispute, siccome sua Santità dal canto suo
,, imporrà anche silenzio, dove sia bisogno, a'
,, Cattolici... La miglior risposta, che si possa
,, fare all' importunità di questi spiriti turbolenti
,, è non stimarli degni di risposta, e così sarebbe bisogno, che adesso in Francia tutti i Predicatori soavemente, e non turbolentemente
,, inculcassero l' unità Ecclesiastica, e la divozione delli Cattolici verso il supremo Pastore
,, senza venire a disputare di quella autorità
,, Pontificia. Parlando male (*hujus auctoritatis adversarii*), non bisogna rispondere direttamente, ma indirettamente, lamentandosi,
,, che questo facciano senza necessità, e con maligna intenzione per mettere in odio la Santa
,, Sede, la quale è tutta dolcissima ed affezionatissima Madre di quel Regno, ed invece di rispondere alle loro proposizioni sarebbe meglio
,, d' impugnare le loro intenzioni, affine di renderli odiosi, come perturbatori della quiete,
,, e fra tali discorsi interporre soavemente quelli
,, due Capi dell'Unità Ecclesiastica, e Cristiana,
,, e dell' amore, ovvero della devozione verso

„ la Santa Sede, nodo dell' unione e comunio-
„ ne Ecclesiastica . „ Hactenus *Salesius*. *Febroni*, si sapis, *studium criticum Canonum & Conciliorum* relinque; ac tanti Antistitis consiliis adquiesce. Quod *gaudium erit in Coelo super te peccatore poenitentiam agente!*

Alia impudentiae, specimina conglobata

XVIII. Ac maximo quidem ut resipiscas, incitamento esse poterunt, si aequiore illa animo recogitaris, cetera impudentiae tuae argumenta. Quid? inquies, tantaene in maledicendo intemperantiae fuerim, ut in sacram Indicis Congregationem furere & bacchari non sim veritus *p.* 182. quasi Romana *Librorum proscriptio juribus Regum, & Vasallorum, nec non inveteratis Provinciarum moribus queat obesse, atque insuper Ecclesiae ac Reipublicae pacem & tranquillitatem turbare; praesertim apud vulgus, quum intelligit, Libros tamquam perniciosos, immo ut haereticos proscribi, vel eo solo titulo, quod in illis libertates Ecclesiarum, quin & jura Regnorum atque Provinciarum adserantur?* Ut *Romanam* Curiam omnibus suspectam, & invisam reddere studuerim cum saepe alias, tum p. 232. illis verbis: *Haec curia constat ingenti numero Tribunalium, officialium, Ministrorum, Aulicorum, qui sub specie & praetextu servandae auctoritatis summae Sedis re ipsa laborant, ut Papam constituant absolutum Monarcham non in spiritualibus solum, sed etiam in temporalibus. Ab eo tempore Episcopi, Reges & Principes saepe se viderunt obligatos ad resistendum huic Curiae, immo ad recurrendum adversus illam ad media quandoque extrema?* Ut *S. Leonem*

nem M. epistolam decimam ad *Gallicanos* Antistites exarasse monuerim *p.* 154. in caussa S. Hilarii Arelatensis, *quem ille, uti communiter creditur, non juste exagitavit; adeo, ut ad eum opprimendum etiam* Valentiniani *III. Imp. auctoritate usus sit, quod pro sua apud hunc gratia facile valuit?* Ut *S. Gregorium* VII. *dictatus* edidisse pag. 58. adfirmarim; *ad quos* Curia Romana *pro adserenda Papae Monarchia, prioribus saeculis incognita, collimaret*; distantes a *principiis traditis in octo primis generalibus Conciliis, & a forma regiminis Ecclesiastici in eisdem expressis?* Ut *Juliani* Cardinalis & *Pii* II. palinodiam mihi objectam declinaturus scripserim *p.* 147. quae tumulentus vix funderet, *Aeneam Sylvium, quum esset Juvenis, & necdum sibi ad opes, beneficia, atque honores animum induxisset, ad Acta Synodi* Basiliensis *fideliter, absque ullo fuco, & fallaciis conscribenda adcessisse, consequenter potius illi habendam fidem ut Juveni & pauperi privato, quam ut Cardinali ac Pontifici seni & diviti.* O scelus! o propudium! o effraenationis portentum!

Epistolae conclusio, & ad Febronium *adhortatio, ut palinodiam canat.*

XIX. Perge mi *Febroni* tua scripta religiosis hisce sensibus recognoscere. Palinodiam a te sperare liceat, non stricto pugione extortam, qualem *Richerio* p. 13. ex falsis rumoribus audacter tribuis, sed Dei gratia peractam. Mors est omni aetati communis, sed senibus fere necessaria. Quamobrem quum senex sis, de morte tibi serio cogitandum. Quid ergo? Memoria repete sapiens illud *Osvvi* Regis responsum, quod *Beda histor. lib. III. cap.* 25. commemorat, in ea, quae

de

de Paſchate celebrando mota in *Anglia* eſt ann. DCLXIV. quaeſtione. Quum enim adverſus *Colmanum* Epiſcopum, qui Sanctorum *Johannis* & *Columbae* exemplo ſervandum *Aſianorum* morem ajebat, *Wilfridus* Presbyter ex *Romana* conſuetudine Paſcha peragendum docuiſſet, dignitatem *S. Petri* amplificans, cui Dominus ait: „ Tu es *Petrus* & ſuper hanc petram aedificabo „ Eccleſiam meam; & portae inferi non praevalebunt adverſus eam & tibi dabo claves Regni Coelorum: Rex tunc dixit: verene *Colmane*, haec *Petro* dicta ſunt a Domino? Qui „ ait: vere Rex. At ille: Habetis, inquit, vos „ proferre aliquid tantae poteſtatis veſtro *Columbae* datum? Ait ille, nihil. Rurſum Rex „ ſi utrique veſtrum in hac controverſia conſentiunt, quod haec principaliter *Petro* dicta, & „ claves regni Coelorum ei ſunt datae a Domino. Reſponderunt etiam utrique. Rex ita concluſit... Et ego vobis dico, quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in „ quantum novi & valeo, huic cupio in omnibus obedire, ne forte me advenieute ad fores „ regni Coelorum, non ſit qui referet, averſo „ illo, qui claves tenere probatur. „ O ſententiam in omnium quidem Chriſtianorum, ſed ſenum maxime animis imprimendam! Quo morti ſunt hi propiores, eo ſollicitiores eſſe debent, quei *S. Petri* gratiam ſibi concilient. Quid igitur ſeni faciendum, qui *Petrum*, quemadmodum tu *Febroni*, in ſuis ſucceſſoribus *Romanis* Pontificibus graviter laeſerit? Nonne omni ſtudio curandum eſt, ut ſuis recantatis erroribus a Coe-

a Coeli ostiario veniam tandem efflagitet? Ad id etiam atque etiam te hortor, *Justine*, *ne forte te adveniente ad fores regni Coelorum* (quod a pio illo Rege nuper adcepisti) *non sit qui reseret, averso illo, qui claves tenere probatur*. Vale XIII. Kalendas Septembris *S. Bernardo*, cujus te imitatorem per summam impudentiam jactasti, sacra die.

EPISTOLA II.

Ad clarissimos Theologicae Facultatis Sorbonicae Doctores, ut pro sua in Apostolicam Sedem reverentia Febronium Gallicanae *Ecclesiae auctoritate abutentem compescant.*

I. QUanta Doctores Sorbonici reverentia Apostolicam Sedem ab antiquissimis usque temporibus prosequuti fuerint, in Ecclesiastica & litteraria historia plane hospes sit, qui ignoret. Nam in celebri tractatu, quem ann. MCCCLXXXIV. ad vindicandam in *Johannis Montesonii* errores a se latam censuram ediderunt, *ille*, inquiunt, *supremam habet in definiendis fidei controversiis auctoritatem, qui in suis decisionibus errare non potest; atqui Sedes Apostolica in suis decisionibus errare non potest; ergo Sedes Apostolica supremam in definiendis fidei controversiis auctoritatem habet*. Quid ad extollendam, confirmandamque Apostolicae Sedis cum supremam auctoritatem, tum

Doctorum Sorbonicorum *in Apostolicam Sedem observantia.*

tum ἀσφαλῶς praeclarius? *Romani* Pontificis ex jure divino repetendam jurisdictionem *Parisiensis* facultas in laudatissima adversus *Lutherum* censura an. MDXLII. diserte professa est his verbis: *non minus certum est, unam esse jure divino summum in Ecclesia militante Pontificem, cui omnes Christiani* PARERE *tenentur*. Non multos post annos, scilicet MDLIV. in censura quam de Regulari quodam ordine recens instituto adprobatoque vulgavit, ajebat: *ingenue profitemur, ac sincere testamur, ut semper a nobis factitatum est, Romanum Pontificem universalem esse Jesu Christi Vicarium, supremum totius Ecclesiae Pastorem, qui a Christo* PLENITVDINEM POTESTATIS *adcepit, cui omnes utriusque sexus Fideles obedire, & omnimodam ipsius decretis fidem praebere, atque ea decreta adcurate servare singulari obsequio tenentur*. *Aegidii* quoque RIGOTII Theologi *Cadomensis* propositionem, qua *claves non solum fuisse promissae* Petro, *sed etiam aliis Apostolis* AEQVALITER dicebantur, a. MDLVIII. eadem *Parisiensis* Facultas *haereticam* judicavit fideique contrariam. Quid vero pro *Romani* Pontificis auctoritate, atque Ecclesiae Monarchia illustrius, quam quod in censura adversus quatuor *de Republica* libros a *M. Antonio de Dominis* evulgatos ab iisdem *Parisiensibus* Theologis an. MDCXVII. lata legere est. *Parisiensium*, inquiebat Apostata *de Dominis*, *doctrina enucleate intellecta nihil discrepat a mea his libris tradita doctrina, & ab ipsa veritate*... *Schola itaque* Parisiensis *& nostra est, & re-*

ipsa

ipsa potestati studet Aristocraticae, non Monarchicae: quare ex ejus quoque doctrina Papatus nullo potest solido subsistere fundamento. At Parisienses doctores hanc illi thesi notam adscripserunt: *mera est contra Facultatem* Parisiensem *impostura*. Quincta porro ejusdem de *Dominis* propositio haec erat: *disparitas Potestatis inter Apostolos, humanum est inventum, in sacris Evangeliis, & divinis Novi Testamenti scripturis minime subsistens.* Porro Sacra *Parisiensis* Facultas in eadem censura hanc ei propositioni notam inussit: *haec propositio est haeretica & schismatica, de* IVRISDICTIONE *Apostolica ordinaria, quae in* SOLO *divo* Petro *subsistebat, intellecta*. Demum, ne longior sim, an. MDCLX. duodecimo Decembris die in *Sorbona* (quod illustrissimus *Petrus* de *Marca* in observationibus super theses *Claramontanas* testificatur) haec thesis fuit propugnata: *Romanus Pontifex controversiarum Ecclesiasticarum est constitutus judex a Christo, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promisit.*

Hinc caussa ad eos scribendi, ut Febronium *Academico judicio refellant*.

II. Quo ista spectent, pro vestra utique sapientia, doctissimi viri intelligitis; ut nempe miretur nemo, me de *Justini Febronii* decretis ad vos litteras dare. Nam quo illa cum Apostolica Sedis auctoritate magis pugnant, eo digniora mihi visa sunt, quae a celeberrima vestra Facultate exploderentur. Dolebam certe, Gallicas *Febroniani* operis interpretationes omnino duas circumferri, nec tamen quum illud plures *Italiae* ac *Germaniae* Theologi egregiis editis commentariis profligassent, inclyta *Colonien-*

niensis Academia judicio suo proscripsisset, heterodoxi summis laudibus extollerent, quidquam hactenus ex *Gallia* prodiisse, quo Auctor ad suam in *Romanos* Pontifices maledicentiam tuendam *Gallicanae* Ecclesiae auctoritate passim abutens comprimeretur. Statui igitur ad vos litteras scribere, quibus *Febronianas* aliquot theses vobis proponerem audaciae, temeritatis, falsitatis, erroris ac scandali plenas, ut illas pro gravitate vestra, pro vestra in *Romanam* Sedem observantia, pro vestro in rem Catholicam, atque adeo in amplissimam vestram Ecclesiam studio refellatis; & hinc occasionem nacti ad alias ejusdem operis propositiones, quae magno sane numero occurrunt, Theologica trutina examinandas animum intendatis. Apostolica Sedes, cujus est dogmaticam de libris sententiam ferre, vobis suo de *Febronii* libris judicio praeivit. An non vobis ea gratuletur, si suae *Sorbonam* sententiae non obsequentem modo, sed etiam pro illa dimicantem viderit? Theses enimvero, quas indicabam, ex nuperrimo tertio hujus operis volumine seligam, easque tantummodo, quae nobilissimae *Gallicanae* Ecclesiae placitis maxime adversantur.

Proponuntur illis aliquot Febronianae theses ex III. Volumine graviore reprehensione dignae.

III. THESIS I. FEBRONIANA. *De Pontificii Primatus finibus.* „ *Febronius* ad noscendos Primatus fines duo haec axiomata „ ponit: a) *Quae ante receptionem falsarum* „ *decretalium constante usu servata*. b) *Quae* „ *semper & ubique* Romano *Pontifici qua Pri-* „ *mati agnita sunt, ea omnia & sola ad Pri-* „ *matus jura & officium spectare noscuntur.* „ *T.III. p.*340.

Prima de Pontificii Primatus finibus.

Haec

Haec dicuntur inconstantissime. Quum enim *quae ante receptionem falsarum decretalium constante usu servata, quae semper & ubique* Romano *Pontifici, qua Primati agnita sunt, ea omnia ad Primatus jura & officium spectare* *Febronius* fateatur; negat tamen, *Romanos* Pontifices leges ferre posse; negat, illos appellationum jure potiri; negat, indicendarum, confirmandarumque generalium Synodorum auctoritatem penes eos esse, aliaque id genus permulta negat, *quae ante receptionem falsarum decretalium constante usu servata, ac semper & ubique* Romano *Pontifici qua Primati agnita esse* pro singulari vestra eruditione probe nostis. Sed hominis inconstantiam dimittamus. *quae nec satis cum* Febronianis *decretis cohaeret.*

Ait ille, horum axiomatum alterum: *quae semper & ubique* Romano *Pontifici, qua Primati agnita sunt, ea omnia, & sola ad Primatus jura & officium spectare noscuntur*, Romanis *minus adridere*. Vere dictum, sed addendum fuerat, *ceterisque Catholicis*: *Quae semper & ubique* Romano *Pontifici qua Primati agnita sunt, ea omnia ad Primatus jura & officium spectare* omnes libenter concedimus. Hoc falsum, & perabsurdum, *ea* SOLA *ad Primatus jura & officium spectare*. Quid enim siquis *Feproniani* hujusce Canonis exemplo *quae semper, & ubique* Romano *Pontifici qua Occidentis Patriarchae, aut Episcopis agnita sunt, ea* SOLA ad Patriarchatus, vel Episcopatus jura & officium pertinere contenderet? Actum utique esset de Patriarchico Vicariorum Apostolicorum constituendorum jure, quum nec *semper* (sub *Da-* *& juribus Patriarcharum*

maso

maso enim ejusmodi munus coepit in *Illyrico*, sub *Zosimo* in *Galliis*) nec *ubique* (in *Africa* enim, quae *Occidentali* Patriarchae obnoxia erat, nulli umquam Vicarii Apostolici exstitere, in *Germania* vero multo serius) id juris fuerit *Romano* Pontifici qua *Patriarchae* adtributum. Actum quoque foret de Episcopali casuum, ut dicimus, Patriarchae reservandorum potestate, quum primum, ac fortasse in universa antiquitate unicum hujus reservationis exemplum an. CCCCXII. *Synesius* suppeditarit, *Lamponiani* Presbyteri, quem a Fidelium communione segregaverat, absolutione *Theophilo* Patriarchae delata. Aliis idipsum exemplis illustrarem, nisi ad vos perscriberem eruditissimos viros, qui cum Patriarchica, tum Episcopalia jura non simul omnia & ubique prodita, sed pro temporum locorumque conditione paullatim explicata fuisse ex veteris Ecclesiae monumentis adcepistis. Quid? quod ne ipsa quidem Regum potestas, si *Febronianus* Canon valeat, salva consistet. Quot enim in principibus jura legum Doctores agnoscunt, quae tamen nec semper, nec ubique exercuerunt? Exemplo sit, quod de *Placiti*, ut ajunt, *Regii* jure *Febronius* docuit *T. I. p.*741., illud scilicet *juri Majestatico tam firmiter adhaerere, ut Princeps ne illud quidem a se abdicare valeat*. Verene an secus ista jactentur, praesentis instituti non est diligenter inquirere. Hoc ajo, hujusce *placiti* usum adeo non *semper & ubique* obtinuisse, ut nonnisi tribus aut quatuor abhinc saeculis, neque in omnibus Provinciis, Regnisque de illo quidquam au-

Episcoporumque

immo & principum maxime adversatur.

audiri coeperit. Quid ergo fiet, si hujusmodi *placitum* cum *Februniano* Canone contenderimus? Haec non vobis tantum, sed cuique satis esse debent, ut quantum malitiae ac veneni in vocula illa SOLA a *Febronio* adhibita lateat, intelligatur. Nimirum ex potestatis usu, qui vicissitudinibus patet, potestatem ipsam, quae eadem semper est, nec sibi dissimilis, nos arguere *Febronius* fallacissime jubet. Sed tenebrionis hujus insidias *Thomassinus* Vestras luculenter praemonstravit, dum censurae, quam in ejus *de beneficiis* libros Anonymus tulerat, respondens ait: *in usu, & exercitio variatum est, non in potestate, quae & in Conciliis Provincialibus* (adde & in Episcopis, atque adeo in Regibus) *pro suo modo, & in* Romanis *Pontificibus pro eorum summo principatu eadem semper intacta atque illibata viget: erumpit autem & exercetur non eodem semper modo, sed pro locorum temporumque & rerum opportunitate, pro Ecclesiae sive utilitate sive necessitate. Non ergo quaestio umquam vertitur de potestate primae Sedis, quae summa est, & sui simillima; sed de variato ejus per tot aetatum, tot locorum negociorumque varietates exercitio atque usu.* Undenam ergo *Febronius* inquiet, Primatus terminos colligemus? Facile responsum dabitis: primum ex ipsa ejus natura ac vi; deinde ex fine, quem in illo constituendo Christus dominus spectavit, illos esse petendos.

ac praeterea casso nititur fundamento

IV. THESIS II. FEBRONIANA. „ *De* „ Richerii *systemate. Edmundus Richerius* in fa- „ moso

II. *de* Richerii *systemate*.

„ moso suo libello de Ecclesiastica & politica
„ potestate Cap. I. sic docet. *Schola* Parisien-
„ sis *congruenter ad mentem omnium antiquo-*
„ *rum Doctorum Ecclesiae, perpetuo constan-*
„ *terque docuit, Christum fundando Eccle-*
„ *siam, prius, immediatius, atque essentialius*
„ *claves sive jurisdictionem toti Ecclesiae dedis-*
„ *se, quam* Petro: *seu quod eodem redit*: Cla-
„ ves toti contulisse Ecclesiae, ut per unum
„ ministerialiter exercerentur. *Quandoquidem*
„ *tota jurisdictio Ecclesiastica primario, pro-*
„ *prie, ac essentialiter Ecclesiae convenit*: Ro-
„ mano *autem Pontifici, atque aliis Episcopis*
„ *instrumentaliter, ministerialiter, & quoad*
„ *exequutionem tantum, sicut facultas viden-*
„ *di oculo*. Haec ex *Petavii* libro III. *de Eccle-*
„ *siastica Hierarchia Cap.* 14. repetens *Viator*
„ noster Italus (Capucinum indicat Fr. *Viato-*
„ *torem* a *Cocaleo*, qui adversus ejus opus epi-
„ stolas quasdam non indoctas edidit) *pag.*54.
„ *haec*, inquit, *summa doctrinae* Richerii *ab*
„ *ipsomet scripta initio sui operis*; hoc addit,
„ *impium* Richerii systema, ab omnibus bonis
„ *diris devotum*, *Febronius* adoptat. Adver-
„ sus haec ego *Capucino* nostro *Italo* audeo re-
„ ponere, *Richerii* systema, quoad hoc, ne-
„ que novum esse, neque impium, sed hanc
„ ejus doctrinam, veram, piam, & statui ac
„ instituto Ecclesiae conformem. In eo autem
„ ille perperam & sinistre docuit, quod tam in
„ memorato Opusculo, quam in quatuor Tomis
„ *Historiae Conciliorum Generalium*, Ecclesiae
„ statum passim faciat *Aristocraticum*, quod
„ aeque

„ aeque malum, ac falsum est, quam eum reddere *Monarchicum*. „

Scilicet *Febronius Petavio* acutior se *Richerii* mentem felicius adsequutum esse existimat. Immo incautis fucum facere conatur, ne sibi invisa *Richerismi* nota inuratur. Docuerat enim *T.I.Cap.I.* §.6. *pag.*32. Petrum *solum non esse subjectum immediatum potestatis Ecclesiasticae, sed clavium potestatem* Universitati Ecclesiae *proprie*, *& ita transcriptam esse, ut illa per eos Ministros pro sua cujusque portione, ac inter hos per summum Pontificem exerceatur*. Similia sunt illa *p.*57. *Quum itaque Ecclesia ipsa* principaliter, *&* radicaliter (Richerianis illis *primario* & *essentialiter* synonima) *obtineat potestatem clavium, quae ab illa in omnes ejus ministros, ipsumque summum Pontificem derivatur, & singulis quibusque pro sua portione communicatur*. Sed frustra *Febronius Richeriani* systematis absurditatem alio detorquet, ut ejus defensi invidiam a se amoliatur. *Duvallius*, *Perronius*, *Petavius*, aliique, qui *Richerium* oppugnarunt, id argumentando effecerunt, ut *Richerium* secum ipso confligere, atque Ecclesiae quum Monarchiae statum diserte adscribat, Aristocraticam tamen, immo & democraticam regiminis formam, si vera sunt, quae adserit, omnino tribuendam esse demonstrarent. Ceterum ille Ecclesiam appellat *Politiam* MONARCHICAM *Regimine Aristocratico temperatam*. *Bossuetius* vero quum in appendice ad defensionem declarationis Cleri *Gallicani Lib. III. cap.* 1. sibi objecisset: *at enim* Richerius *hunc Monarchiam odit, & ubique insectatur, & Aristocratiam*

quod Febronius *ut* Richerismi *notam declinet*,

perperam explicat, *corrumpitque*,

ipso repugnante RICHERIO.

Ecclesiasticam laudat, respondet: *non ille quidem absolute, sed Monarchicum esse Ecclesiae statum suo sensu profitetur*. *Richeriani* systematis virus inde repetendum est, unde magni illi Theologi Ecclesiastici regiminis formam ad Aristocraticam atque adeo, ut ajebam, ad democraticam in illo tandem deflecti comprobarunt: *Jure divino & naturali*, inquiebat *Richerius* cap. I., *omnibus perfectis communitatibus*, ET CIVILI SOCIETATI, *prius, immediatius, atque essentialius competit, ut seipsam gubernet, quam alicui homini singulari, ut totam societatem & communitatem regat*. Hinc enim ad Ecclesiae communitatem progressus statuit, *Christum fundando Ecclesiam prius, & immediatius, atque essentialius claves sive jurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam* Petro: seu quod eodem redit: *Claves toti contulisse Ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur. Quandoquidem tota jurisdictio Ecclesiastica primario, proprie, ac essentialiter Ecclesiae convenit*: Romano *autem Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, & quoad exequutionem tantum*. „ De là, inquit Illustrissimus *Cameracensis* Archiepiscopus in doctissima Pastorali institutione an MDCCXXXI. adversus libellum inscriptum: „ *Memoire pour les* „ *sieurs* SAMSON &c. pag. 101., de là il est „ aisé de juger avec combien peu de pudeur, & „ de sincerité il a paru soûtenir dans son Apo„ logie, que par la Communauté, a la quelle „ il attribuoit la proprieté des clefs, & de „ jurisdiction ecclesiastique, il entendoit tout „ le

ac doctissimis Galliarum *Episcopis repugnantibus*

„ le corps hierarchique ; car on ne peut pas plus „ clairement rejetter cette explication, qu'en „ disant, comme il fait ici, que c'est a toute „ l'Eglise, que Jesus-Christ a donné le pouvoir „ des clefs, & que le Pontife *Romain*, & les „ autres Evêques en ont *seulement le ministere*, & l'exercice. *Romano autem Pontifici*, „ *atque aliis Episcopis ministerialiter, & quoad* „ *exequutionem tantum*. Le Pontife *Romain* & „ les autres Evêques sont incontestablement la „ plus noble partie de l'ordre Hierarchique. „ Ils n'ont cependant selon *Richer*, que le „ seul ministère, & l'exercice du pouvoir & „ de la jurisdiction ecclesiastique. Ils n'en „ ont donc pas la proprieté. Quand donc il „ dit, que tout l'ordre Hierarchique a reçu la „ jurisdiction de Jesus-Christ, cela peut très-bien „ s'accorder avec l'erreur, qu'il établit ici, si „ on entend, qu'il a reçu ce pouvoir de la ma- „ nière, qui lui convient ; c'est-à-dire, quant „ a l'exercice & quant a l'execution seule- „ ment. *Ministerialiter & quoad exequutionem* „ *tantum*: ce qui n'empéche pas, que toute „ la Communauté n'en conserve essentiellement „ la proprieté. Enfin s'il avoit parlé bien clai- „ rement & bien Catholiquement dans son Apo- „ logie, il s'en suiveroit de-là, qu'il auroit „ retracté ses erreurs, & non pas qu'il eût „ donné un sens Catholique a une proposition, „ qui n'en est pas susceptible. Mais loin d'avoir „ voulu les retracter dans son Apologie, il est „ manifeste, qu'il n'a pensé tout au plus qu'a „ les pallier, & qu'il les a même confirmées

„ dans plus d'un endroit: car c'est dans cette „ Apologie qu'il établit, que les Loix portées „ par les Princes ou par les Evêques, n'obli- „ gent & n'ont de force que lorsq' elles sont „ approuvées par le peuple & par les fideles; „ ce qui est rèellement accorder au peuple & „ a la societé des fideles le pouvoir souverain „ & n'en laisser aux Princes, & aux Evêques „ que le simple exercice entierement dépendant „ de la multitude. „ Hactenus doctissimus ille Praeful, quo nemo majore perspicuitate *Richerii* fraudes detexit. Neque vero unus est, qui ita senserit, *Cameracensis* Antistes. Eodem, quo *Cameracensis* Praeful suam institutionem in lucem emisit, anno *Ebredunensis* Archiepiscopus *Tencinius* aliam *Gratianopoli* evulgavit, ubi *p.*49. haec legere est. „ La base & le fondement du „ sisteme de *Richer* est, que *toute communauté* „ *& toute societé parfaite, méme la societé ci-* „ *vile, a le droit de se gouverner elle-méme;* „ *que ce droit dans sa prèmière origine, ap-* „ *partient a la Communautè méme; qu'il lui* „ *appartient plus immediatement & plus essen-* „ *tiellement qu'a aucun particulier; qu'il est* „ *fondè sur le droit divin & le droit natu-* „ *rel; contre le quel ni la multitude des an-* „ *nées, ni les privileges des lieux, ni la di-* „ *gnitè des personnes, ne peuveut jamais pre-* „ *scrire*. Il faudroit fermer les yeux pour ne „ pas appercevoir dans ces principes, que le „ pouvoir souverain, dont les Rois sont re- „ vetûs, n'est qu'un pur ministére; que ce „ pouvoir appartient en propre à la Commu-
„ nau-

,, nauté, qui en confie l'exercice au Prince ,, sans se déssaisir de la proprieté, & qu'elle ,, peut par conséquent, quand l'occasion le de- ,, mande, retirer sa commission, comme il lui ,, a été libre de la donner. Ce qui doit pa- ,, reillement s'entendre de l'autorité Ecclesia- ,, stique. On découvre aisément le but de l'Au- ,, teur, & ses pernicieuses, mais nécessaires ,, consequences, qui naissent de ces principes. ,, Aussi dez que le livre de *Richer* parut, il fut ,, proscrit & a *Rome* par le Pape *Paul* V. & ,, en *France* par les Evêques de la Province ,, d'*Aix*, & par ceux de la Province de *Sens*, ,, qui renfermoit allors celle de *Paris*: dans ,, ces deux Conciles il fut condamné, *comme* ,, *contenant des propositions fausses, erronées,* ,, *scandaleuses, schismatiques, & heretiques* ,, *a prendre les termes dans leur signification* ,, *naturelle*.,, Octo ante utrumque annis, anno scilicet MDCCXXIII. eadem *Josephus Languetius Suessionensium* Episcopus docuerat quinctae Pastoralis epistolae parte tertia. ,, En effet, ,, inquit ille *p.* 664. Le sisteme odieux de *Ri-* ,, *cher* est renfermé dans ce point qu'il enseigne ,, expressément (1), sçavoir, que *toute la ju-* ,, *risdiction Ecclesiastique appartient premiere-* ,, *ment, proprement, & essentiellement a l'Egli-* ,, *se*

(1) *Tota jurisdictio Ecclesiastica, primario, proprie, & essentialiter Ecclesiae convenit*: Romano *autem Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, & quoad exequutionem tantum*. Lib. *de Eccles. & polit. potest. p.* 1.

„ *se: Et qu' elle appartient au souverain Pon-*
„ *tife, & aux autres Evêques, comme a des*
„ *instrumens, comme a des ministres; & quant*
„ *a l' execution seulement.* Puisque *Richer*
„ distingue ici l' Eglise du souverain Pon-
„ tise & des Evêques, il paroit, que par
„ l' *Eglise* il entend le Corps entier des fi-
„ déles, entant que ce Corps contient toute
„ la societé; ensorte, que tous, même femmes,
„ & enfans ont essentiellement la proprieté
„ de la jurisdiction Ecclesiastique, qu' ils la
„ possedent *proprement*. D' ou il sera aisé de
„ conclure, que d' eux elle dérive dans le
„ Pape, & dans les Evêques. Car enfin si
„ les fidéles possedent en propre cette juris-
„ diction, & si les Evêques n' en ont que
„ le ministere, il est facile d' en conclure,
„ que les Evêques la reçoivent par conse-
„ quent du peuple, puisque c' est le peuple
„ qui la possede en propre. *Richer* ne tiroit
„ pas expressement ces consequences. On voit
„ même, qu' il réconnoit au même lieu, que
„ la jurisdiction dérivoit immediatement de
„ J. C. dans le Clergé. *Il est constant*, dit-
„ il (1) au chapitre second, *que tout l'or-*
„ *dre hierarchique, qui est composé de l'ordre*
„ *Episcopal, & de l' ordre Sacerdotal, tire*
„ *de*

(1) *Constat, totum ordinem hierarchicum Episcopali & Sacerdotali ordine constantem, immediate, proportionate, atque subordinate, jurisdictionem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam, a Christo derivare.* Cap. 2.

„ *de J. C. immediatément*, *proportionellement*
„ *&* *avec subordination sa jurisdiction*; c'est-
„ a-dire, *le droit de gouverner l'Eglise*. *Ri-*
„ *cher* sembloit craindre dans ce moment,
„ de livrer au peuple le droit, que le *S.Esprit*
„ *a donnè immediatément aux Evêques*, *de*
„ *gouverner l'Eglise*. *Posuit Episcopos rege-*
„ *re Ecclesiam Dei*. Mais après cet aveu, il
„ revient bientôt a son principe entierement
„ républicain; & il se livre a toutes les con-
„ séquences insoutenables, que nous venons
„ d'y montrer, puisqu' il se fonde sur ses rai-
„ sonemens (1): Que toute Communauté, &
„ toute societé parfaite, même la societé ci-
„ vile, a le droit de se gouverner elle même:
„ Que ce droit, dans sa prémiére origine, ap-
„ partient a la Communauté même: Qu' il lui
„ appartient plus immediatément & plus essen-
„ tiellement, qu' a aucun particulier: Que ce
„ droit est fondé sur le droit divin & sur le droit
„ naturel, contre lequel ni la multitude des
„ années, ni les privileges des lieux, ni la
„ dignité des personnes ne peut jamais pre-
„ scrire: Qu' enfin le consentement des infe-
„ rieurs étoit necessaire pour que les Supe-
„ rieurs exerçassent leur juridiction. Tels sont
„ les principes & les raisonnement de *Richer*. „
Quid ergo de *Febronio* statuetis, qui hanc *Ri-
cherii doctrinam veram*, *piam*, *&* *statui*, *ac
instituto Ecclesiae conformem* appellare audet?
Certe nullum vel ipsis Regibus infensius syste-
ma

(1) *Ibid. cap.* 1. 2. *pag.* 1. 3. 7. *&* 32.

ma excogitari poterat; quod praeter *Languetium*, immo & *Boſſuetium* (1) idem *Cameracenſium* Antiſtes eo loco (*p.* 145. *ſeqq.*) copioſe eleganterque perſequitur. Ut ut eſt, quoniam *Febronius* id in *Richerii* erratis potiſſimum ponit, quod *Eccleſiae ſtatum paſſim faciat Ariſtocraticum*, id ſaltem fateatur, oportebit, ſe ejuſdem erroris reum eſſe, quum illud ipſum *Richerii* decretum veluti *verum*, *pium*, *& ſtatui ac inſtituto Eccleſiae conforme* tueatur, ex quo *Ariſtocraticus* Eccleſiae ſtatus neceſſario conſequatur. Antequam vero ab hac *Febroniana* theſi calamum revoco, illud vobis non impune dimittendum eſſe video, quod idem *Febronius*, ut *Richerii* palinodiam ſibi a D. *Kauffmans Colonienſi* Theologo obiectam declinaret, audacter repoſuit *p.* 13. *Colonienſis Theologus ignoraſſe videtur fidem peſſimam & ſimilem agendi modum, quo* Duvallius *& miniſtri Cardinalis* Richelii *immiſſo ſicario & ſtricto pugione hanc retractationem a* Richerio *extorſerunt*. *Quo non perveniat ſemel effraenata temeritas!* ut cum *Hieronymo* loquar *lib. II. Apolog. adverſus Ruffinum*! Tantum crimen *Duvallio* veſtrae Facultatis Doctori celeberrimo, ac *Richelio* immortalis apud vos memoriae Cardinali quibus demum tabulis adfingitur? Silet accuſator *Febronius*. Dubio tamen procul *Richerii* epiſtolam XXV. Aprilis an. MDCXXXIII. ut fertur ad *Moriſotum* perſcriptam, & in hujus epiſtolis *centuria ſecunda* editam ſpectavit. Verum ignorare non

(1) III. *Avertiſſem. n.* 48. *ſeqq.*

non debuit, quid illa de epistola *Niceronius* (*Memoire pour servir a l' hist. des homm. illustr. Tom. XXVII. pag.* 364.) aliique doctissimi viri senserint, eam nimirum tam multis ac perspicuis falsitatis indiciis damnari, ut portentosae cujusdam aut inscitiae aut dementiae sit eam appellare. Mihi haec indicasse satis est. Vestrum erit tantorum virorum famam tueri.

Thesis III. de loco S. IRENÆI.

V. THESIS III. FEBRONIANA. *De loco S.* Irenaei. „ Ubi de *Romanae* Sedis au-„ ctoritate agitur, celeberrimus est ille S. *Ire-*„ *naei* locus *Lib. II. adv. haereses cap.* 3. Tra-„ ditionem, inquit, in toto mundo manifesta-„ tam in omni Ecclesia adest perspicere om-„ nibus, qui vera velint videre: & habemus „ adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti „ sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eo-„ rum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, „ neque cognoverunt, quale ab his deliratur. „ Sed quoniam valde longum est (pergit *Ire-*„ *naeus*) in hoc tali Volumine omnium Eccle-„ siarum enumerare successiones, maximae, & „ antiquissimae, & omnibus cognitae, a duo-„ bus Apostolis *Petro* & *Paullo* Romae funda-„ tae & constitutae Ecclesiae, eam, quam „ habet ab Apostolis traditionem & adnuntia-„ tam hominibus fidem, per successiones Epi-„ scoporum pervenientem usque ad nos, indi-„ cantes confundimus omnes eos, qui quoquo-„ modo, vel per sui placentiam malam, vel „ vanam gloriam, vel per coecitatem & ma-„ lam sententiam, praeterquam oportet, col-„ ligunt. Ad hanc enim Ecclesiam (Roma-

„ nam)

„ nam) PROPTER POTENTIOREM PRIN-
„ CIPALITATEM necesse est omnem conve-
„ nire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt VN-
„ DIQVE fideles, in qua semper ab his, qui
„ sunt VNDIQVE conservata est ea, quae est
„ ab Apostolis traditio. „

quem Febronius *falsa interpretatione corrumpit.*

Audite jam, Doctores sapientissimi, quid super his verbis obganniat Borealis hic Scriptor, qui *Gallicanam* Ecclesiam a se stare jactanter adfirmat. „ Si intelligi deberent de „ potestate Papali, cujusmodicunque ea sit, quid „ sequentibus verbis, *necesse est omnem convenire*, significaretur, nisi consensionem „ doctrinae cum Ecclesia *Romana*, vel communionem ecclesiasticam cum eadem? Verum „ eo sensu S. Pater profecto non dixisset, *ad* „ *hanc enim Ecclesiam, sed* CVM *hac enim* „ *Ecclesia necesse est omnem convenire Ecclesiam*; „ quandoquidem ista eloquutio *convenire ad*, „ ex usu non adhibeatur ad designandam unitatem doctrinae, aut societatis, sed translationis de loco ad locum „. Mox quibusdam S. Martyris locis adlatis, in quibus hoc sensu verbum *convenire* usurpatur, subdit: „ ex „ variis his exemplis patet, hanc vocem *convenire* ad mentem *Irenaei*, aut interpretis „ ejus, idem sonare ac *ire*, *se conferre*, *congregari*. Unde concludendum, idem verbum „ non aliud significare in textu, de quo agitur. Porro quid per *omnem Ecclesiam* intelligat Sanctus Pater, ipse explicat subdens: „ *hoc est eos, qui sunt undique, fideles*. Quum „ enim Ecclesiae integrae *Romam* ire non possent,

„ sent, postulabat ratio, ut mentem suam aperiret, has voces *omnem Ecclesiam* explicando per fideles, qui illuc ex omni Ecclesia confluebant. Inde etiam colligitur, aliis illis vocibus *potentiorem principalitatem* nullo modo designari supremam, multo minus unicam, seu solitariam Ecclesiae *Romanae*, aut Episcoporum ejus *jurisdictionem*. Iste e contra earum genuinus sensus est, quod quum *Roma* Imperii caput esset, Sedes Imperatoris & Senatus, centrum totius civilis potestatis, necesse sit, ad eamdem urbem, ac proinde ad Ecclesiam in ea florentem *undique* convenire fideles, ob negocia, seu privata, seu suarum Ecclesiarum. Ita ut *Roma* quasi Concilium generale tunc esset perpetuo congregatum, sicque fons purus Apostolicæ doctrinae, cujus conservationem juvabant aliarum Ecclesiarum fideles; quod sic expressit Sanctus Pater: *in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae ab Apostolis est traditio*. Idcirco *Irenaeus*, ut coaevos suos confunderet haereticos, satis ducebat, si eis *Romanae* Ecclesiae testimonium objiceret. Convicti enim traditione hujus Ecclesiae, ad quam fideles undique convenientes orbis universi fidem ferebant, omnium simul Ecclesiarum pondere revera obruebantur „. Haec ille.

Quantum haec Deus bone! distant ab ea, quam *Gallicana* Ecclesia descriptae S. *Irenaei* sententiae tribuit, interpretatione! Certe Cleri vestri conventus an. MDLIX. *Melioduni* habitus uni-

contra Gallicanae *Ecclesiae sententiam*.

unitatem Fidei cum *Romana* Ecclesia praecipiens, ex *Irenaei* verbis rationem adtulit : *ad hanc enim &c.* Cardinales vero, Archiepiscopi, & Episcopi *Parisiis* congregati an. MDCCXXVIII. ad Regem scribentes, *Primatus*, inquiunt (1), *quem in Papa agnoscimus; non in simplici quodam honoris principatu situs est: ait S.* Irenaeus; *necesse est omnem Ecclesiam ad* Romanam *convenire propter potiorem illius auctoritatem*. Possem innumeros vestrae Ecclesiae Praesules, qui in suis Pastoralibus documentis eadem tradiderunt, in medium proferre. Paucos seligo. Illustrissimus de *Languet Senonensium* Archiepiscopus, in secunda, quam ad suae olim Dioecesis refractarios misit, admonitione ait: ,, certum est, juxta venerandum magni *Irenaei*, ,, qui matricium & originariarum *Orientis* Ecclesiarum nobis traditionem adtulit, testimonium, omnem Ecclesiam in Fidei doctrina cum ,, *Romana* Ecclesia convenire debere propter ,, potentiorem illius principalitatem (2) ,,. Similia

(1) Pag. 53. *La primautè, que nous rèconnoissons dans le Pape, ne se borne pas a une simple prèeminence d'honneur : il est necessaire, dit Saint* Irenée, *que toutes les Eglises se rèunissent a celle de Rome, a cause de sa principale autoritè.*

(2) *Il est certain selon ces paroles si respectables du grand Saint* Irenée, *qui nous a portè la tradition des Eglises matrices, & originales de l'Orient, que toute l'Eglise doit convenir avec l'Eglise* Romaine (*dans la doctrine de la Foi*) *a cause de l'excellence de l'autorité, de la grandeur de son origine au dessus des autres Eglises.*

milia invenio apud Archiepiscopum & Ducem Cameracensem in Pastorali an. 1728. institutione adversus *Consultationem DD. Advocatorum Senatus Parisiensis*. En ejus verba. ,, Felicibus ,, illis temporibus, quibus Apostolicus spiritus ,, plane vigebat, Episcopi nullum ad Fidei puritatem servandam, ac Novatores coercendos tutius subsidium noverant, quam si ad ,, *Romanam* Ecclesiam veluti ad suum ipsorum ,, oraculum confugerent. Ubi quae ipsi docebant, cum hujus Ecclesiae dogmatibus consentire ostenderent, de haereticis triumphabant, atque omne novitati effugium praecludebant. Audiamus unum ex antiquioribus ,, *Galliarum* Episcopis, eumque qui ab ipsis ,, Apostolorum discipulis institutus fuit. Maximae, & antiquissimae, inquit S. *Irenaeus*, ,, & omnibus cognitae &c. (2) Pluribus opus non

(2) Pag. 19. *Dans ces tems heureux, ou l'esprit Apostolique ètoit encore en toute sa vigueur, les Evêques ne trouvoient point des moyens plus certains pour conserver la pureté de la Foi, & reprimer les Novateurs, que de recourir a l'Eglise* Romaine, *comme a leur oracle. C'est en confrontant ce qu'ils enseignoient, avec ce qui ètoit enseigné par cette Eglise celebre, qu'ils confondoient les herètiques, & ne laissoient aucune resource a la nouveauté! Ecoutons un de plus anciens Evêques de* France, *qui avoit èté enseigné lui même par les disciples des Apôtres. Quand nous exposons, dit S.* Irenée, *la tradition &c.* Eadem fere invenire est apud Illustrissimos D. de *Belsunce* Episcopum *Massiliensem* in Pastorali Institu-

non est, ut quo sensu *Gallicana* Ecclesia *Irenaei* verba adceperit, omnes intelligant. Si tamen tot praeclarissimorum Antistitum testimonia *Febronio* non sufficerent, praesto alia essent minus illi suspecta.

Thesis IV. de jure appellationum.

VI. THESIS IV. FEBRONIANA *de jure appellationum*. *Heidelbergensis* Professor *Schmidtius* (Tom. I. Institution. Jur. Eccles. Germ. §. LV.) scripserat. „ An jus appellationum sit „ ex *primigeniis* & *jure divino* Primatui Sedis „ Apostolicae competentibus; sunt etiam ex „ Catholicis, qui negant; inter quos facile „ princeps est de *Marca* (*Lib. VII. Cap.* 3.) „ quem, additis ex genio suo parergis, sequi- „ tur *Febronius*. Appellatio vel interponitur „ ob denegatam aut protractam justitiam, item „ ob nullitates, easque insanabiles in processu „ commissas: tum equidem ex ipso jure Natu- „ rae, Publicique universalis dogmatis, id „ juris omnino Primatui necessario competere „ existimo; quum ratione sola dictante constet, „ praecipuum necessariumque Rectoris in civi- „ tate officium esse, ut ad eum oppressae inno- „ centiae perfugium pateat: vel eo sensu haec „ quaestio instituitur, ut ultimae necessario „ instantiae judex sit Summus Pontifex „. Subdit his e vestigio *Febronius p.* 295. „ Dictat „ enim-

stitutione *de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae* 1733. & *Bossuetium Meldensem* in sermone habito ad Conventum Cleri *Gallicani* 9. Novembris 1681. *pag.* 39. Conferatur quoque nuperus S. *Irenaei* Editor *Benedictinus*.

,, enimvero recta ratio, ut qui per inferiorum ,, judicum sententias injuste gravantur, finaliter ad supremum, ad ipsum Principem, aut ,, ad eum, qui hujus loco & nomine ultimatum judicium exercet, provocare valeant. ,, Hoc in omnibus *faecularibus* Statibus, in ,, quibus judiciaria potestas auctoritate Summi ,, Principis exercetur, inconcusse obtinet. Non ,, ita *in Ecclesia*, in qua ex juris sacri origine, & ex Primatus natura nulla caussarum ,, judicia a *Romano* Pontifice aut ejus nomine ,, ac jure exercentur. In ea finale caussarum ,, judicium, ex ordinatione Conciliorum *Nicaeni*, *Antiocheni*, & aliorum pertinet ad Provincialem Synodum, quae suam auctoritatem ,, a Papa neque obtinet neque mutuatur,,.

quod Romano Pontifici adversus Gallicanorum Antistitum *scita* Febronius *denegat*.

Quam non absurda modo isthaec sint, sed etiam cum *Gallicanae* Ecclesiae decretis pugnantia, scitis viri Eruditissimi. Nempe ut *Languetius* tandem *Senonensibus* datus Archiepiscopus ajebat: *Quod ex auctoritate, quam Christi institutione* (jure ergo divino) *in nos* (Episcopos) *Pontifex habet, legitime sequitur, jus est judicandi sontes Episcopos. Quod si illos a Provinciae Episcopis in primae cognitionis caussa judicari mores nostri postulant, jus tamen suscipiendarum appellationum est ipsi absque ulla controversia servatum* (1). Cete-

(1) Instruction Pastorale contenant une troisieme lettre a un Conseiller du Parlement de Paris 1753. *c'est* EN CONSEQVENCE *de cette autorité, qu'il a sur nous par l'institution de Jesus* Christ,

ex sui Richerismi *principiis*. Ceterum in recitatis *Febronii* verbis *Richerismus* sese palam prodit. Cur enim *in Ecclesia nulla caussarum judicia* a *Romano* Pontifice aut ejus nomine ac jure exerceantur? nisi quod *claves* Christum *toti contulisse Ecclesiae*, ut per unum MINISTERIALITER *exercerentur*, seu Episcopos omnes, & horum supremum *Romanum* Pontificem, non a Christo proxime, & *immediate* jurisdictionem adcepisse, sed ab Ecclesia ipsa, hoc est ab multitudine Fidelium, cujus propterea solius nomine caussae ab illis judicandae sint, cum *Richerio Febronius* sentit.

& Nicaenis *Canonibus perperam intellectis*. At *finale caussarum judicium, ex ordinatione Conciliorum* Nicaeni, Antiocheni, *& aliorum pertinet ad Provincialem Synodum, quae suam auctoritatem a Papa neque obtinet, neque mutuatur*. Ita *Febronius*. Verum undenam quaeso *Nicaenos*, *Antiochenos*, ceterosque Patres, ut FINALE caussarum judicium ad Provincialem Synodum omni ad *Romani* Pontificis tribunal provocatione semota pertineret, statuisse colligit? Num Provincialis Synodus auctoritatem a Papa obtineat, mutueturve, non quaero. Hoc probandum, Provincialis Synodi auctoritatem eam esse, a cujus judicio nullus provocationi sit locus. At id quei *Febronius* evincet? „ Quum enim, ut *Antifebronii vindica-*

Christ, *qu'il a droit de juger les Evêques coupables, & s'il doit, selon nos usages, les faire juger par leurs Comprovinciaux en prèmiere instance, le droit d'en recevoir l'appel lui est reservé, & ne lui est pas contesté*.

„ *dicati* Auctor ait *T. III. Diss. VIII. Cap. V.* „ *pag.* 470. de *Romano* Pontifice (a *Nicaenis* „ Patribus ; quod idem de *Antiochenis* dictum „ esto) nulla fiat mentio, hoc numquam effi- „ cient (*Quesnellius*, *Dupinius*, *Febronius*) „ nisi Provincialia Concilia supremae in Epi- „ scoporum praesertim caussis dijudicandis au- „ ctoritatis, a quibus nullus sit ad superius „ tribunal appellationi locus, agnita ab illis „ Patribus fuisse ostendant. Nempe si *Nicae-* „ *nos* Patres, quum apud Provinciae Synodos „ *discuti hujusmodi quaestiones jusserunt*, ap- „ pellationes exempli caussa ad generale, vel „ etiam ad Nationale Concilium non abrogas- „ se constat, quo demum pacto adversarii, „ ut appellationes ad *Romanam* Sedem ibi im- „ probatae dicantur, obtinebunt ? Sed nihil „ certius, quam quod Patres *Nicaeni* intactas „ ad Concilia sive generalia sive etiam Na- „ tionalia a Provincialibus Synodis appella- „ tiones voluerint. Nonne *Febronius* *Afros* „ objicit ? „ Atqui *Africani* Patres diserte ajunt (1) : „ *Maxime quia unicuique conces-* „ *sum est, si judicio offensus fuerit Cognito-* „ *rum, ad Concilia suae Provinciae, vel etiam* „ *universale provocare*. Non ergo omnes „ omnino ad superius tribunal provocationes „ a *Nicaenis* decretis vetitas crediderunt. „ Sed vel ipsi *Nicaenae* Synodi Patres suo „ exemplo id ostenderunt. *Petrus*, ut *Atha-* „ *nasius* narrat (2), *apud nos ante persequu-*

 „ *tio-*

(1) *Apud Const. col.* 1061.
(2) *Apol.* 11.

„ *tionem Episcopus, in persequutione Martyr*
„ *occubuit. Hic* MELETIVM, *qui Episcopus*
„ *in Aegypto erat; plurimorum convictum sce-*
„ *lerum, ac potissimum quod immolasset ido-*
„ *lis*, IN COMMVNI EPISCOPORVM SY-
„ NODO *deposuit..... Interim* Meletio *haec*
„ *agente*, Arriana *exorta est haeresis; sed in*
„ Nicaena *Synodo ipsa quidem haeresis ana-*
„ *themate damnata*, Arrianique *rejecti*, ME-
„ LETIANI ALIQVO MODO RECEPTI
„ SVNT. Exstat enimvero ea de re *Nicae-*
„ *norum* Patrum ad Ecclesiam *Alexandrinam*
„ Epistola, quae *Athanasii* narrationem con-
„ firmat. In ea scilicet ajunt: *Concilium*,
„ *clementius aliquando in* Meletium *animatum*
„ *(nam summo jure nullam merebatur ve-*
„ *niam) decrevit, ut in sua civitate maneat;*
„ *potestatem autem nullam habeat vel manus*
„ *imponendi, vel administrandi..... sed ut*
„ *solum dignitatis nomen retineat. Meletii* igi-
„ tur in *Alexandrina* Synodo depositi caussam
„ *Nicaenum* Concilium retractavit, eumque,
„ qui, quod a Synodo Provinciae depositus
„ esset, Episcopus non erat, sua in Civitate,
„ retento dignitatis nomine, manere decrevit.
„ An ergo verisimile sit, eosdem *Nicaenos*
„ Patres sibi, ut nulla a Synodo Provinciae
„ provocatio daretur, statuendum duxisse?
„ Praeterea luculentissimum *Nicaenorum* Ca-
„ nonum interpretem habemus *Julium I.* in
„ epistola ad *Eusebianos*. Is enim quum an.
„ CCCXLII., septemdecim scilicet post *Ni-*
„ *caenam* Synodum annis, hasce litteras de-
derit,

„ derit, *Nicaenorum* Patrum mentem habere
„ perspectam potuit, nec quum ad *Arrianos*
„ scriberet cavillationibus agentes, dubitan-
„ dum, quin rem longe notissimam propone-
„ ret. Ait ergo Pontifex (1): *Episcopi in ma-*
„ *gna Synodo congregati, non citra* Dei *Con-*
„ *silium, prioris Synodi acta in alia Synodo*
„ *disquiri permiserunt, ut qui judicarent,*
„ *prae oculis habentes secundum futurum esse*
„ *judicium, cum omni cautela res expenderent,*
„ *& qui judicarentur, crederent, se non ex prio-*
„ *rum judicum odio & inimicitia, sed ex aequita-*
„ *tis praescripto judicatos esse*. Quod si *Nicaenis*
„ Patribus ea mens non fuit, ut nulla a Pro-
„ vinciae Synodo appellatio liceret, multo
„ minus censendi sunt provocationes ad Apo-
„ stolicam Sedem auferre de medio voluisse.
„ Quanta enim *Romanos* Praesules reverentia
„ sint prosequuti, pervulgatum est. Nicaenae
„ *Synodi*, inquit Bonifacius I. (2), *non aliud*
„ *praecepta testantur; adeo ut non aliquid su-*
„ *per eum* (Petrum) *ausa sit constituere,*
„ *quum videret nihil supra meritum suum pos-*
„ *se conferri: omnia denique huic noverat Do-*
„ *mini sermone concessa*. Eadem sententia fuit
„ Patribus Concili *Romani* sub *Felice* III.
„ quorum haec sunt verba: *Domino* ad *B*. Pe-
„ trum *dicente*: Tu es *Petrus*, & super hanc
„ Petram aedificabo Ecclesiam &c. *Quam vocem*
„ *sequentes trecenti decem & octo Sancti Pa-*

 „ *tres*

(1) *T. I. Epist. R. P. col.* 355. *Coust.*
(2) *Ep. XIV. T. I. epist. R. P. Coust. col.* 1037.

„ *tres apud* Nicaeam *congregati confirmationem* „ *rerum, atque auctoritatem Sanctae* Romanae *Ecclesiae detulerunt: quam utramque* „ *usque ad aetatem nostram successiones omnes,* „ *Christi gratia praestante, custodiunt*. Aliud „ quoque praesto est argumentum, quo *Nicaenam* Synodum non reprobasse appellationes ad Apostolicam Sedem confirmetur. Nimirum ut a *Balleriniis* observatum est (1), *in* „ Sardicensi *Synodo, quae ex Patribus* Nicaenis *coaluit, &* Nicaeni *Concilii veluti appendix habita est, appellationes ejusmodi expresse* „ *adprobantur: neque enim iidem Patres sibi* „ *contradixisse credendi sunt, ac delesse hac in re* „ *eam Synodum, pro qua sarta tecta servanda* „ *tantopere laborarunt*. *Nicaenus* igitur Canon eos appellationum judices designavit, „ quorum erat facilior quibusque in locis cognitio, ut nihil tamen Apostolicae Sedis auctoritati detraheretur.

Thesis V. de jure generalium Conciliorum convocandorum.

VII. THESIS V. FEBRONIANA, *de jure generalium Conciliorum convocandorum*.

„ Quum P. *Schmidt* negare non possit, „ octo priora oecumenica Concilia ab Imperatoribus convocata fuisse, sed neque ipse „ neque alius..... sustinere audeat, Caesares id vel nullo jure vel quod amplius esset, contra jus, vel etiam ex delegatione „ Papae egisse; atque ea disciplina..... signanter ob distractum in partes Imperium, „ dein mutata fuerit, ita ut deinceps Papa „ po-

(1) *T. I. in S. Leon. col.* 943.

„ potiorem in convocandis Conciliis partem „ habuisse videatur, eaque omnia jure mere „ humano ita acta atque immutata fuisse dubitari nequeat: hinc neque tacitus ille Principum & Ecclesiae in qualemcumque hanc „ mutationem consensus *fictus* dici potest; „ quum (sicut *Cap. VI.* §. 3. *cit.* diserte „ *Febronius* posuit) *usu* hoc jus convocandi „ fuerit *dimissum fere* (non ait *translatum*) „ soli *Romano* Pontifici: novit autem Scholaris, *usum esse jus ex consensu tacito*: quinimmo ne in hunc quidem usque diem illi „ Catholici Principes, inter quos *Occidentis* „ imperium divisum esse cernitur (quatenus „ in idipsum consentirent), a pristino Imperatorum in ipsos transmisso jure convocationis „ primario exclusi haberi debent; siquidem „ jus istud a jure pacatam retinendi, aut turbatam pacandi Religionem Reipublicae separari non possit. In eo itaque Pontifex hac „ in parte Imperatoris & reliquorum Magnatum beneficium seu favorem atque deferentiam agnoscere habet, quod jus ipsis in „ regula & principalius competens, atque eis „ ab Ecclesia per novem saecula agnitum, „ nunc per solum Papam (requisito tamen „ pro singulis casibus, & obtento eorum consensu) exerceri patiantur. „ *Tom. III.* 279. *seq.*

Haeccine a Catholico Scriptore prodire potuerunt? „ Quelque part, inquit praestantissimus *Podiensis* Antistes in libro inscripto: „ *defense des Actes du Clergé de France* 1769. „ (*P.I.*

cui Thesi Podiensis *Episcopus strenue adversatur.*

„ (*P. I. pag. 69.*) quelque part, qu'on ait
„ voulu donner a l'autorité feculiére dans
„ la convocation des Conciles, il faut *re-
„ noncer a tous les principes de la Catholicité*,
„ ou convenir, que c'eſt a l'autorité Ec-
„ cleſiaſtique de décider, ſi cette convocation
„ eſt néceſſaire & utile a la Religion; que
„ c'eſt a elle d'ordonner par le motif de
„ l'obeiſſance Canonique aux Prélats, qui
„ doivent compoſer ces Conciles, de ſe ren-
„ dre au temps & au lieu indiqués; s'ils
„ n'ont pas des juſtes raiſons, qui les en
„ empêchent. D'ailleurs il eſt très-certain,
„ que l'autorité Eccleſiaſtique doit indiſpen-
„ ſablement ſe concerter avec la ſeculiére;
„ qu'elle ne peut ſe paſſer de ſon consente-
„ ment pour aſſembler, & pour célébrer un
„ Concile; qu'elle manifeſteroit vainement
„ ſes intentions a cet égard, ſi celle-ci ne
„ fourniſſoit un territoire propre a la tenue
„ du Concile; ſi elle ne permettoit aux prê-
„ lats, qui dependent d'elle, d'y aller, &
„ d'y paſſer tout le temps néceſſaire; ſi elle
„ ne protegeoit la liberté du Concile, lorſ-
„ qu'on peut craindre, qu'elle ne ſoit trou-
„ blée par des violences & des hoſtilités. On
„ ſait auſſi, que les Empereurs Chrêtiens,
„ dont les Etats renfermoient une très-grande
„ partie de l'Egliſe Catholique, concouroient
„ a la célébration des Conciles par les ordres,
„ qu'ils donnoient aux Gouverneurs des Pro-
„ vinces, & aux Magiſtrats des Villes, pour
„ faciliter le voyage des Evêques, & pour
qu'il

„ qu'ils fussent défrayes, soit dans leur route, „ soit dans leur sejour. Mais il n'est pas „ moins vrai, que tont ce, qu'il y a de spi- „ rituel dans la convocation des Conciles, „ je veux dire le jugement des motifs, qui „ exigent cette convocation, & l' obligation „ Canonique d' y obeir, imposée à tous ceux „ qu' elle regarde, est du ressort de l' autori- „ té Ecclesiastique. „ Quum ergo *Febronius* ait *p.* 280: *Concilium est coetus publicus* in Imperio, Regno, vel alio statu, *coetus magni strepitus, multaeque consequentiae: talem cogere non est* portio Primatus, *utpote qui de se neque Imperium, neque Regnum habet*, omnia turbat, ac perverse confundit. Principum enim ad generalia celebranda Concilia pernecessarium esse consensum ipsa illa de caussa, quam *Febronius* indicat, nemo inficiatur; id tamen non ad jus eorum convocandorum pertinet, sed ad generale, quo ornantur, Ecclesiasticae libertatis fovendae, conservandaeque officium, ac convocationis praesidium est, non jussio. Primatum porro de se *neque Imperium, neque Regnum habere* tam falsum est, quam certum, Ecclesiam, quae Primatu regitur, esse spiritale Christi regnum, ac Thronum *David*, qui in aeternum non deficiet(1). Quamobrem *S. Augustino* monente *Tract.CXV. in Joh.* Christus *non ait: Regnum meum non est* IN *hoc mundo, sed non est* DE hoc mundo, *nec dicit*: non est HEIC, sed non est HINC: *heic est enim usque ad finem saeculi*.

Inepta & falsa Febronii *argumentatio*.

VIII. THE-

(1) S. Epiphan. *Haer.* XXIX.

ThesisVI. de jure praesidendi Conciliis Oecumenicis.

VIII. THESIS VI. FEBRONIANA, *de jure praesidendi Conciliis Oecumenicis*.

,, De praesidio in generalibus Conciliis, ,, uti & de jure in eis proponendi abunde ,, egit *Febronius Cap. VI.* §. 4. & ejus defen- ,, sor *Theodorus* a *Palude Cap. VI.* §. 5. Utrum- ,, que jus ibidem *in regula* tribuitur summo ,, Pontifici: *in exceptione* (nimirum casu quo ,, Papa Concilio vel praesidere, vel necessaria ,, proponere in eo recuset, aut non valeat), ,, alteri, ex beneplacito Synodi. Quo inge- ,, nio, quo jure, quo fructu P. *Schmidt* pri- ,, mum appellet *triticum*, alterum *zizaniis* com- ,, paret, judicent prudentiores. Probat ille, ,, se juvenem Canonistam, quando de *Giberto* ,, & *Launoio* cum quadam specie vilipensionis ,, loqui adfectat. ,,

quod Febronius *Christiana antiquitate*,

Liceat & heic mihi quae nuper appellatus *Podiensium* Praesul eodem in loco ad rem praesentem differit, vobis ob oculos ponere. ,, Les ,, Assemblées Hierarchiques ont, s' il est per- ,, mis de parler ainsi, un Chef & un Presi- ,, dent né. Le Souverain Pontife preside DE ,, PLEIN DROIT aux Conciles generaux. ,, Les Protestans, & des Theologiens de no- ,, tre communion, qui aiment a se rapprocher ,, d' eux (en *Febronium* a *Podiensi* Episcopo ,, designatum; & hic se *Gallicanae* Ecclesiae ,, praesidio tueri posthac audebit?) ont fait ,, d' inutiles efforts pour obscurcir cette Pre- ,, sidence dans les anciens Conciles Oecume- ,, niques. Si l' on excepte le second, & le ,, cinquieme, qui n' obtinrent ce titre, que

par

„ par l'accession posterieure des Papes, & de „ l'*Occident*, tous les Conciles generaux a „ commencer par celui de *Nicèe*, ont été certainement présidés par les Souverains Pontifes, ou par leurs Legats . . . Seroit-il possible „ en effet, qu'une Assemblée, qui selon l'expression de *Tertullien* est la *representation* „ *de tout le nom chrétien*, ou n'eut point „ de Chef, ou s'en donnât un autre, que „ celui, qui par l'institution de *Jesus-Christ* est „ le Chef visible de son Eglise?„

acrecta ratione reluctante R. Pontifici cripit,

Sed *Febronianae* doctrinae mysterium prodamus. Eo isthaec omnia spectant, ut Concilium quodpiam, ut ipse ait, *Liberum* ad Primatum intra *Dupinianos* fines concludendum, seu potius evertendum cogatur, ac Pontifex se Patrum sanctionibus obnoxium antea fateatur: quod quum ille ἀδύνατον esse intelligat, propterea id maxime urget, etiam invito *Romano* Praesule, generalia Concilia celebrari posse: quod (ubi de legitimo certoque Pontifice agitur) cogitare scelus apud Catholicos est, atque flagitium.

ut tandem Concilium quodpiam cogi possit ad Primatum evertendum.

IX. THESIS VII. FEBRONIANA *in* Tridentinum *Concilium*. „ Qui quum apprime naturam regiminis Ecclesiae a Christo „ instituti, & ductu atque adflatu Spiritus „ Sancti sub octo primis universalibus Conciliis servati noscant, neque ignorent, quantum a ducentis annis laboratum esset, ut „ Ecclesia in capite & in membris reformaretur, & tum demum Synodi *Tridentinae* decretis eatenus in Ecclesiae emendatione cer- „ tatum

Thesis VII ad elevandam Tridentini Concilii auctoritatem.

„ tatum sit, quatenus Curiae *Romanae* majestati & commodis, non gloriae Dei & saluti Christianorum, & potissimum Ecclesiasticorum consuleretur: hi, inquam, cum Card. *Carolo* a *Lotharingia* & aliis Patribus *Tridentinis* longe diversam, spiritui quatuor primorum generalium Conciliorum conformem reformationem desiderant. Scilicet in hac *Tridentina* Synodo Pontifices sedulam operam dederunt, ut Episcopi *Italiae*, qui dominationi Curiae *Romanae* adsueti, ab ea, & a nutu *Romani* Pontificis, tanquam absoluti Monarchae, variis titulis pendebant, triplo ferme aliarum Provinciarum Episcopos numero superarent, ac proinde omnia ex animi sui arbitrio, Curiae *Romanae* stylo ac placitis decernerentur &c. „ *T.III.p.* 123. *seqq.* ac post alia ejusdem furfuris: *atque hinc quoque claret, Concilium (quoad materiam disciplinae) non fuisse omnino liberum, sed ut idem ait* Hervetus *in calce epistolae, manifestam fuisse adsectarum Curiae* Romanae *conspirationem*..

magno haereticorum plausu, ac fructu.

Ubi haec, aliaque, quae in eamdem sententiam *Febronius* congerit, legeritis Viri sapientissimi, an non rei indignitate percellemini? Fac enim vera esse, quae de *Tridentina* Synodo quod ad disciplinae decreta spectat, nobis objicit; quid demum heterodoxis respondebimus, si eadem ad dogmaticos Canones detorserint? Id saltem negarit nemo, haec *Lutheranis* favere quammaxime, qui liberum non fuisse in illis praescribendis Concilium passim debla-

blaterant, nec satis expediri posse, quei *Tridentinorum* Patrum in condendis Canonibus libertas cum tanta eorumdem in ferendis decretis servitute concilietur. At illa falsa esse, aut saltem mirum in modum exaggerata, licet *Espencaei* & *Herveti* testimoniis nitantur, ut confidenter adfirmem, faciunt *Gallicani* Praesules. Hi enim an. MDCXIV. se ad recipiendum omnino *Tridentinum* Concilium *conscientiae officio* teneri declararunt (1). Nec veritus est *Francis-*

Sed summa falsitate, ut produnt Gallicani Praesules.

---

(1) Exstant quae rem testentur, Acta Cleri *Gallicani*, eaque Cardinalis de *Rupefocaldio Ludovico* XIII. exhibuit in eo libro, quem a. 1626. *Parisiis* edidit praenotatum: *Raisons pour le desaveu fait par les Evêques de ce Roiaume d'un livre publié avec ce titre*: Jugement des Cardinaux &c. *contre les Schismatiques de ce temps*. Sect. XXI. pag. 212. seqq. Du Mardi 7. Juillet 1615. President Mr. de la Rochefaucaut. .

. . . .

„ Les Cardinaux, Archevêsques, Evêsques, „ Prélats, & autres Ecclesiastiques soussignés, „ répresentans le Clergé géneral de *France*, as- „ semblés par la permission du Roy au Couvent „ des *Augustins* a Paris; après avoir meurement „ deliberé sur la publication du Concile de *Trente* „ ont unanimement reconnu & déclaré, recon- „ noissent & déclarent, *qu' ils sont obligés par* „ *leur devoir & conscience a recevoir, comme* „ *de fait ils ont reçeu, & reçoivent le dit Con-* „ *cile*, & promettent de l' observer autant qu' ils „ peuvent par leur fonction & auctorité spirituelle, „ & pa-

ciscus Cardinalis *de Rupefocaldio Galliarum* Regi *Ludovico* XIII. palam edicere ann. MDCXXVI. , nihil in ullo ejus Concilii decreto esse , quod jure Gallis improbari posset, modo ad illius lectionem aequus animus adferretur (1) . Haeccine magnus ille Cardinalis tan-

---

„ & pastorale. Et pour en faire une plus ample, „ plus solemnelle , & plus particuliere reception , „ sont d'avis , que les Conciles Provinciaux de „ toutes les Provinces Metropolitaines de ce „ Roiaume doivent estre convoquées & assemblés en chacune Province dans six mois au plus „ tard &c. „

(1) Pag. 202. „ Dans tout le Concile de „ *Trente* il n' y a rien , qui puisse donner aucun sujet raisonnable d' offence a ce Royaume, „ ou a quoy il ne puisse être fort aisément satisfait . Et c' est de ce point principalement , „ que l' on peut prendre juste crainte d' un „ schisme . Parceque les Prélats , s' étants restrains a faire simplement instance , que tout „ ce , que contient ce Concile , fust bien veu & „ consideré par telles personnes , qu' il plairoit „ au Roi de commettre , l' on a continuellement „ detourné leurs pensées , aiant été répresentè „ avec l' horreur d' un ennemi principal du Roiaume : de crainte que la seule lecture fist connoistre la vérité , & l' innocente doctrine , & „ intention de ce Concile ; comme il arriva en „ la cy-dessus mentionée Assemblée des Etas , „ en laquelle les Seigneurs Deputés pour la Noblesse , aiant pris quelque aversion de ce Concile,

tanto Regi adfirmate dixiſſet, ſi *Tridentina* decreta *Curiae* Romanae *majeſtati*, & *commodis*, *non gloriae Dei*, & *ſaluti Chriſtianorum*, & *potiſſimum Eccleſiaſticorum conſuluiſſent*? Norantne melius Cardinalis *Caroli* a *Lotharingia* mentem *Eſpencaeus*, & *Hervetus*, quam *Rupefocaldius*, & ceteri qui *Pariſios* convenerant, *Galliarum* Epiſcopi? Alia in hanc rem commentari me prohibet ſapientia veſtra, quae longe plura ac multo luculentiora vobis argumenta ad tantam hujus ſcriptoris coercendam licentiam ſuggeret.

X. THESIS VIII. FEBRONIANA. *De Apoſtolicarum Conſtitutionum examine ab Epiſcopis inſtituendo.*

Octava, de Apoſtolicarum conſtitutionum examine ab Epiſcopis inſtituendo, ſtatuens,

„ Dixit *Johannes a Calore* in Apologia „ *Febr. Art. III. n.* 10. Epiſcopos adceptantes conſtitutionem ſummi Pontificis, etiam „ in materia fidei, id facere debere cum deliberatione, maturitate & judicio. Ergo, inquit D. *Kauffmans* in Praefat. ſecundae „ editionis ſui Apologetici *pag.* 8. ad ſingulos „ Epiſcopos pertinet auctoritas examinandi, an conſtitutio *Unigenitus* ſit pura a „ labe erroris. Reſpondeo: pertinet utique hoc

„ cile ſur cette diffamation publique: après que „ par la ſeule lecture d'icelui ils eurent été detrompés, ils ſe joignirent au Clergé pour en „ requerir la publication, en la même forme, „ que les Eccleſiaſtiques l'avoient fait par leur „ declaration, la quel ils virent bien ne pouvoir „ apporter aucun prejudice aux droits du Roiaume. „

id facere Episcopos debere cum deliberatione, maturitate, & judicio.

„ hoc examen ad quemlibet Episcoporum ante Ecclesiae adceptationem; quid enim est adceptatio sine consensu? quid consensus sine deliberatione? quid deliberatio sine examine eorum scilicet, qui in Ecclesia sunt Judices Fidei. „ *T. III. p.* 64.

Ut *Febronii* mentem adsequamini, verba *Johannis a Calore* in sua ejusdem *Febronii* Apologia *T. II. pag.* 195. recitabo. „ Quod Episcopi adceptantes summi Pontificis constitutiones, etiam in materiis fidei, id facere debeant cum deliberatione, maturitate, & judicio, atque ita una cum Papa judicent pro officii sui debito, recte docuit *Febronius cap. IV.* §. 2. *n.* 5. 6. & cum ipso tradunt omnes quotquot non existimant, Papam infallibilem, & Episcopos meros ejusdem voluntatis exequutores. „

In qua Thesi quod veri videtur praeferre, Febronii *caussam non juvat.*

Equidem vos, qui *appellantium* cavillationes adprime nostis, statim quid heic veneni delitescat, perspicitis. Sinite tamen, ut novum hunc *Appellantium* patronum latebris, quibus se protegit, exire in publicam lucem compellam, ejusque fraudes aperiam.

Posse Episcopos, qui cum *Gallis* pervulgatae declarationis defensoribus *Romanum* Pontificem errori obnoxium esse contendunt, Apostolicas Constitutiones dubitanter, & cum dissentiendi facultate (hanc enim *Febronius* non semel inculcat) examini subjicere, ne ipsi quidem *Gallicani* Praesules consentient. Certe *Senonensis* Archiepiscopus *Languetius* in epistola a. MDCCXIX. ad Episcopum *Encolismensem*

sem perscripta ajebat: *in memoriam tibi revocandum est, nobis* (Episcopis) *etsi Judicibus summum Pontificem tamquam Superiorem ac Pastorem nostrum praeesse*. Id exultantes animo profitemur, *inquiebat in Gallicanis ann. MDCLXXXII. Comitiis* Bossuetius, amamus unitatem, quamque exhibemus, obedientiam nobis gloriae ducimus. *Magnus hic vir esse tibi suspectus nequaquam potest. Agnoscit ille Sanctissimi Patris in nos potestatem, huic autem obedientiam debemus, de qua gloriemur* (1). Quae porro isthaec obedientia sit, paullo post idem *Languetius* in haec verba declarat. *Omnimodae obedientiae vocabulum primo obedientiam significat, quae quod ad obediendi rationem spectat, absoluta sit, neque exterior tantum, ac verbis contenta, sed etiam interior, & ex intimo animi sensu profecta, omnesque cum actiones tum opiniones arceat, quibus hujus virtutis perfectioni inspergi labis aliquid posset .... eo insuper nomine obedientia designatur cum decreto, cui parendum est, comparata, integra*

G & *ipsa*,

(1) P. 13. „ Il faut vous faire resouvenir, „ que tous Juges que nous sommes, le Pape est „ nôtre Superieur, & nôtre Pasteur. *Nous le publions avec joie*, disoit feu M. *Bossuet* dans l' „ assemblée du Clergè de *France* en 1682., *nous aimons l' unité, & tenons a gloire nôtre obeissance* ..... Ce grand'homme ne peut vous être „ suspect; il réconnoit l'autorité du S. Pere sur „ nous, & a cette autorité doit répondre une „ obeissance, dont nous devons nous faire gloire „.

& ipsa, atque ejusmodi, ut nullum circumscriptionibus, atque exceptionibus locum relinquat (1). Magnus equidem mihi erit Apollo *Febronius* si tantam Episcoporum obedientiam a suo illo examine non abhorrere ostenderit.

quod certae falsitatis inest, a Gallicanis *Episcopis jampridem confutatū novimus.*

Verum ne hoc quidem *Febronio* si daretur (quod abnuo) satis est. Ait ille, *Episcopos adceptantes Summi Pontificis Constitutiones etiam in materiis fidei id facere* DEBERE *cum deliberatione, maturitate, & judicio*. De *judicio* mox dicam. Mihi illud displicet, quod *de deliberatione* dicitur, nec dubito, quin vobis quoque improbetur. Quid *deliberatio* sit, alibi *Febronius* explicat: *ubi vero*, inquit hujus Tomi tertii *pag.* 111., *est consensus, ibi quoque deliberandi*, ATQUE DISSENTIENDI *facultas esse ponitur*. Igitur ex *Febronii* sententia *Epi-*

(1) P. 15. „ Le mot d' *obedientia omnimoda* „ signifie prémiérement une obéissance, qui soit „ *entiére* quant a la maniere d'obeir, c' est-a dire, que l'obeissance ne doit pas étre seulement „ extérieure & de bouche, elle doit aussi étre de „ l' esprit & du coeur, elle doit exclurre toutes „ les actions, & tous les sentimens, qui altereroient la perfection d'une vertu, qui doit étre „ chére a tous les chrêtiens, & qui doit étre plus „ parfaite dans le coeur d'un Evêque, parcequ' il „ faut, qu' il soit lui-meme le modéle de toutes „ les vertus, qu'il doit enseigner a son peuple. „ Ce mot signifie encore une obeissance *entiére* „ par rapport au décret, auquel on obeit, & cette obeissance pour étre telle doit exclurre le „ partage, les restrictions, & les reserves „.

Episcopi adceptantes Summi Pontificis Constitutiones etiam in materiis fidei id facere DEBENT *cum dissentiendi facultate*. Id enimvero a *Gallicanae* Ecclesiae sensu maxime alienum. Illud memoria recolite *Fenelonii* clarissimi Antistitis in celebri Conventu, in quo *Innocentii* XII. Decretum adversus ejusdem *Fenelonii* librum *Maximes* &c. fuit solemniter adceptum: „ Le Pa„ pe ayant jugé cette cause (*des maximes* „ *des Saints*) les Evêques de la Province quoi„ que juges naturels de la doctrine, ne peu„ vent dans la présente assemblée, & dans le „ circonstances de ce cas particulier (*post* Ro„ mani *scilicet Pontificis definitionem*) porter „ aucun jugement, qu'un jugement DE SIM„ ple ADHESION a celui du S. Siége, & d' „ acceptation de sa constitution „. Quae spectans *Massiliensis* Episcopus in Epistola ad Episcopum *Montispessulani* An. MDCCXXX. scribebat: *si le jugement de l' Eglise de Rome me condamne, vous m'y verrez soûmis* DANS L' INSTANT, *a l'exemple de feu M. de* Fenelon *Archevêque de* Cambray, *& être le prémier a réconnoitre & a publier hautement, que je me suis trompé. Dans l' instant*? Ubi ergo deliberationi, & dissensui locus? Eadem mens fuit *Arelatensis* Archiepiscopi. Nam in Pastorali institutione pro Constitutione *Unigenitus* adceptanda ait: *il ne nous est pas permis de rien écouter, qui soit contraire aux décisions du Souverain Pontife*.

At Episcopi Judices fidei sunt. Sunt utique. Ergone Constitutiones Apostolicas cum dissen-

sentiendi facultate suo DEBENT examini subjicere? Falsum omnino id est. Edicat *Febronius*, an possint Episcopi ad Concilii Oecumenici definitiones examinandas cum dissentiendi potestate adcedere, de illisque pro auctoritate sententiam ferre. Non id profecto *Febronius* dicet, qui Oecumenicarum Synodorum definitiones a Spiritu Sancto dictatas, nec reformationi obnoxias esse Catholicus sentiet. Episcopi tamen omnes, ut Illustrissimus de *Saleon Ruthenensis* Episcopus recte monuit, dum cujusque Concilii Oecumenici, cui interesse non potuerunt, decisionem adceptant, judicant, ac decidunt, quod a Concilio jam definitum, ac judicatum fuit (1). Negari certe non potest, jubente *Leone* Imperatore Episcopos sexcentos supra mille acta *Chalcedonensis* Concilii ad examen revocasse, de illisque judicium tulisse. Diserta sunt *Isauriae* (2), *Cappadociae primae*, no-

(1) In docum. pastor. de auctorit. decis. Eccles. edito an. 1738. P. II. pag. 230. *Les Evêques, qui acceptent la decision d' un Concile Oecumenique, jugent, & decident ce qui a deja été jugé, & decidé par le Concile.*

(2) *T. VII. Concil. Mans. edit. col.* 560. „ Volentes autem *examinatione certissima* fulgere Deo „ amabilem undique veritatem, etiam timorem „ nobis proposuistis futuri judicii, quatenus neque „ inimicitia, neque circa quosdam gratia faciente deberemus obumbrare, quod justum est. Servientes igitur nutui vestrae potestatis, & omnes „ pariter congregati, & tractantes atque univer- „ sa

(1) novaeque *Epiri* (2) Antistitum verba in litteris post *Chalcedonensem* illam Synodum divulgatis. Judices ergo esse Episcopi possunt, quin suo ipsorum judicio examen quoddam dubitationis cum dissentiendi facultate praemittant.

Impudens porro, & majore, quam est nostra, castigatione digna est *Febronii* licentia; qui veritus non est, Pontificiae ἀσφαλείας defensores ejusmodi exhibere, ut *Episcopos* velint *meros* Papae *voluntatis exequutores*. Id certe ex lutulentissimis Appellantium foecibus deprom-

& Appellantium caussae patrocinatur.

G 3 ptum

„ sa considerantes, ut erant, hoc dicimus: quia „ *Chalcedonensis* Concilii intentio est valde firmissi„ ma. Sequitur enim praedicationes Evangelii, & „ Sanctorum Patrum, qui dudum in *Nicaena* urbe „ collecti sunt, symbolum inviolatum omnino cu„ stodit „.

(1) *Ibid. Epist. I. col. 596.* „ Tantummodo de„ finitionem expositam ab illo Sancto Concilio, ab „ eo delatam inspexi: quam relegens salubriter „ congruenterque suscipiens atque intelligens & (ut „ reor) mente recta eum ut oportebat *examinans*, „ comperi a recta fide non dissonare „.

(2) *Ibid. Epist. LIX. col. 620.* „ Ea vero, quae „ *Chalcedone* constituta sunt a sancto & universali „ Concilio de fide Catholica, in quantum doctri„ nas & expositiones & interpretationes perfecto„ rum Patrum nostrorum sequi volumus, esse con„ sona *judicavimus* his, quae *Nicaeae* a sanctis tre„ centis decem & octo Patribus definita sunt, & po„ stea in regia civitate a centum quinquaginta Pa„ tribus explanata, in quibus etiam perduramus „.

ptum esse nemo vestrum non intelligit. Scilicet Appellantes, ut sibi objectam Episcoporum in suscipienda Constitutione *Unigenitus* consensionem eluderent, saepe caussati sunt, *Italos*, *Hispanos*, ceterosque earum regionnm, quae Papam ceu falli nescium praedicant, Episcopos absque examine, & veluti *meros* Pontificiae *voluntatis exequutores* illam admisisse. Verum ex *Gallicanis* Episcopis, quos tamen saepe saepius suarum absurditatum patronos, & duces mendaciter appellat, discere *Febronius* debuerat, illos ipsos Episcopos, qui *Romanum* Pontificem erroris expertem habent, posse de Apostolicis Constitutionibus examen instituere, ac pro munere suo judicare, quin inconstantiae, turpisque cum suo ipsorum dogmate conflictus insimulari jure ac merito queant. Nam si Episcopi, ut ait Illustrissimus de *Saleon Ruthenensis* Episcopus in nuper indicata Pastorali Institutione (1), qui Concilii Oecumenici definitionem suscipiunt, judicant definiuntque quod antea a Concilio judicatum, & definitum fuit, cur non dicatur Episcopus, qui Papae definitionem recipit, quod eum ab erroris periculo immunem credit, cum Pontifice judicare ac definire, quod

(1) *P.II.pag.*230. „Car enfin si les Evêques, „ qui acceptent la décision d' un Concile Oecume- „ nique jugent, & décident ce qui a deja été ju- „ gé & décidé par le Concile, pour quoy ne di- „ ra-t-on pas d' un Evêque, qui accepte une dé- „ cision du Pape, que quoique il le croye infailli- „ ble, il juge pourtant & il décide avec le Pape „ ce que le Pape a deja jugé & décidé „.

quod judicatum prius ab ipſo Pontifice fuit, ac definitum. Diſcere etiam debuerat, reapſe Conſtitutionem *Unigenitus* fuiſſe ab iſtiuſmodi Praeſulibus non ſine examine ſuſceptam. Id nempe cum Cardinalis de *Biſſy* in documentis Paſtoralibus a. MDCCXXII. (1) & MDCCXXVIII. (2) tum Dux *Aurelianenſis* & *Cameracenſis* Archiepiſcopus in Paſtorali inſtitutione a. 1730. adverſus *Conſultationem Advocatorum Pariſienſium* (3) diſerte teſtati ſunt. Immo *Caeſarauguſtanus*

(1) *Pag.* 134. „ Voila M. F. plus de temoignages qu'il n' en faut pour vous convaincre, „ que les Evêques des Egliſes, ou l' on tient le „ Pape infaillible, on fait un ſerieux examen des „ propoſitions cenſurées; qu' ils croiroient avoir „ prevariqué eſſentiellement a leur devoir, s' ils „ y avoient manqué. On ne peut donc plus nous „ oppoſer le defaut d' examen „. Prius dixerat *pag.* 130. „ Le ſentiment de l' infaillibilité du Pape „ n' empêche pas les Evêques d'*Italie* d' examiner „ avec beaucoup de ſoin ce, que les Bulles con„ damnent „.

(2) *Pag.* 23. „ Nous declarons, que quoi„ que les Evêques Etrangers croient le Pape infail„ lible dans les déciſions dogmatiques, qu' il a „ adreſſé aux Fideles pour regler leur croyance, „ cette opinion ne les a pas empéches d'examiner „ le fond de cette Bulle, & de déclarer, qu'ils ont „ reconnu par cet examen, qu' elle eſt entiere„ ment conforme a l' Ecriture ſainte, & a la „ Tradition „.

(3) *Pag.* 94. „ Dans les Egliſes d'*Eſpagne*, „ de *Pologne*, & de *Dalmatie*, ou le ſentiment de „ l'in-

stanus Archiepiscopus, aliique, quorum idem Eminentissimus de *Bissy* in Pastorali institutione adversus interpositam a Constitutione appellationem edita a. 1728. testimonia recitat, conqueruntur se a *Quesnellianis* per summam injuriam adcusatos fuisse, quasi coeco quodam impetu, nec ullo adhibito examine Constitutionem cooptassent. Demum & illud discere debuerat, Episcopos, qui Pontificiae ἀσφαλείας opinione ducti Constitutionem quampiam susciperent, nec temere acturos, & tamen Episcopalis judicii munere perfungi posse. Primum illud *Ruthenensis* Episcopus in eadem, quam indicavi, a. 1738. institutione (sumptis licet celeberrimae declarationis articulis) perspicue ostendit (1). Alterum vero

„ l'infaillibilitè du Pape est le mieux etabli, les „ Evêques ont examiné la Bulle *Unigenitus* avec „ autant d'attention, que s'ils avoient été dans „ le sentiment contraire „.

(1) Ait ille *T.II. pag.* 221. „ Que l'infail„ libilité du Pape ne soit pas un dogme inconte„ stable, les Evêques étrangers en conviennent „ eux-mêmes. Ils ne nous font pas un crime d' „ être en *France* dans un sentiment opposé, com„ me nous ne leur faisons pas un crime de leur „ opinion. Mais puisqu'il leur est permis d'em„ brasser cette opinion, & de la regarder comme „ certaine; pourquoi ne leur sera-t-il pas permis de „ fonder leur acceptation sur l'infaillibilité du Pa„ pe? Il est vrai, qu'ils peuvent se tromper en „ croyant appercevoir dans l'Ecriture, & dans la „ Tradition l'infaillibilité du Pape, & dans cette „ in-

ro facile suadetur. Quid enim tunc Episcopi facerent? Obedirent *Romano* Pontifici, eique adhaererent. Verum teste *Languetio* (1) *lors même, que nous adhérons au jugement du S. Pere, nous exerçons en cela même le ministere, que nous avons reçu de Dieu.* Cur hoc? quia; inquit *Cameracensis Fenelonius* in suo anni 1699. Provinciali Conventu, *qui dit* ADHERER *a un*

„ infaillibilité la verité des points, qu'il s'agit „ de décider: mais ne pouvons-nous pas nous tromper aussi, & y a-t-il aucun Evêque particulier, „ qui ne puisse se tromper dans la confrontation, „ qu'il fera des points a décider, avec l'Ecriture & la Tradition? L'Ecriture, la Tradition, „ la proposition de l'Eglise, voila les Regles immobiles, sur les quelles nôtre foy est appuyée, „ mais l'application, que chaque Evêque en particulier fait de ces Regles immobiles aux „ points, qu'il s'agit de décider, est sujette a l'erreur. L'infaillibilité n'a pas été promisequ' au „ Corps; ainsi celui, qui pour accepter une décision examine lui même en détail tous les points „ en les confrontant avec l'Ecriture, & la Tradition, peut également se tromper, comme „ celui qui fonde son acceptation sur le sentiment „ de l'infaillibilité du Pape. Quoique le sentiment de l'infaillibilité du Pape de l'aveu de „ tous les Catholiques ne soit pas un dogme incontestable, on ne peut donc pas accuser de prévarication ceux des Evêques étrangers, qui fonderoient uniquement leur acceptation d'une Bulle du Pape sur cette infaillibiiité „.

(1) *Troisieme Avis num.* 71.

un jugement, *dit former un jugement interieur*, *par le quel on se conforme a celui*, *au quel on adhère*, idque ex ministerii juribus. Haec non tam vestri caussa, quam ceterorum qui meam hanc epistolam legerint, copiosius proposui, ne sibi a *Febronio* imponi sinant.

Thesis IX. Sarpii vindicationes. XI. THESIS IX. FEBRONIANA Paulli Sarpii *vindicationes continens*. *Dum* (Auctor quidam *Examinis Febroniani* operis) *certum esse ait*, Paullum Sarpium *fuisse de Secta Protestantium*, *injuriam facit Viro Magno Tom. III. pag.* 249. ,, Non me fugit, quod de *Sarpio* ,, memorat *Bossuetius in defens. declar. Cleri* ,, *Gall. Lib. VIII. cap.* 12. scilicet: *Quum ille* ,, *Frater* Paullus Calvinianae *haeresi*, *quam* ,, *cucullatus fovebat*, *per eorum dissidiorum* ,, *occasionem aditum aliquem quaerens*, *nullum* ,, *invenerit*, *aut Senatum inducere ausus sit*, ,, *insidiosissimus licet*, *ad infringendam Sedis* ,, *Apostolicae majestatem &c.* Eadem vir illu- ,, strissimus repetit Libro VII. historiae *varia-* ,, *tionum*. Adcusatio gravis est; sed an fun- ,, data? Ad hoc dignoscendum, ad fontem ,, redeundum est, e quo hae suspiciones, atque ,, incusationes prosiliunt. Habent eae suum ,, fundamentum in quibusdam relationibus in- ,, sertis Vitae *Guillelmi Bedelli* Episcopi *Kil-* ,, *moreensis* in *Hibernia* a *Gilberto Burnet* con- ,, scriptae, ex *Anglico Gallice* anno 1687. ,, *Amstaelodami* editae .... Interim narratio- ,, nes aut somnia *Burneti* (qui a pluribus suo- ,, rum conterraneorum pro fanatico, credulo ,, quin & falsario habetur) apud *Protestantes* aeque

„ aeque ac *Catholicos* fidem & adfensum fa-
„ cile invenerunt: apud illos quidem, ut ad-
„ cessione viri magni numerum suum & aucto-
„ ritatem augerent; apud *hos* vero, ut plus
„ odii concitarent homini, qui pro muneris sui
„ parte tam fortiter se, se *Paullo* V. *Romano*
„ Pontifici objecerat „.

Quid ad haec dicetis, sapientissimi viri? Profecto egregiam *Ebredunensis* Archiepiscopi institutionem Pastoralem, qua *Sarpiana* historia a *le Courayero Gallice* reddita proscribitur, *Gratianopoli* an. MDCCXXXVIII. vulgatam non semel vidistis, atque adprobastis. An non ergo incredibili quadam admiratione perculsi *Febronianas* hasce *Sarpii* vindicationes legetis? At enim *Bossuetium Burnetus* decepit. *Fanaticus* scilicet, *credulus*, quin & *falsarius* Scriptor *Bossuetio* imponere potuit summo viro, atque *Gallicanae* Ecclesiae ornamento. Proh! impudentiam uno dignam *Sarpii* vindice! Quasi vero *Sarpii* epistolae non exstarent, quae quid ille hominis esset, nullam licet *Burnetianarum* narrationum habere rationem velimus, non aperte docerent. *Equidem*, inquit *Febronius* p.250. *ex propriis ejus epistolis intelligimus, qualiter prosperum successum rerum & armorum Protestantium optaverit; attamen non eo fine ac sensu, quo hi fidem evangelicam praedicabant, sed unice tamquam medium, quo fastus* Romanorum *deprimi, atque ita vera Religio a superfluis purgata ad primaevam puritatem reduci valeat. Equidem sentiebat diverse in quibusdam ab illis, qui cum excessu in iis etiam articulis, quos ne*

ex Sarpii *ipsius epistolis falsitatis convictae.*

ne Tridentinum *quidem exigit*, *fidem & cultum Catholicum reponunt*, *sed neutiquam in substantialibus*. „ Il ne falloit pas dissimuler, „ inquiebat *Ebredunensis* Praesul *p.* 12. que ce „ *sçavant homme* (*vir magnus*) approuvoit la „ Réforme *dans son entier*, puisqu'on ne trou„ ve dans ses lettres aucun vestige de restri„ ction. N' est-ce pas en effet applaudir sans „ réserve au Protestantisme, que de le confon„ dre avec l'Evangile; de désigner ceux, qui „ l' ont embrassé, sous le nom *de gens de bien*, „ & de les opposer par cet endroit a ceux, „ qu' il affecte d' appeller *Papistes*; de qualifier „ de véritable Religion la Religion Protestan„ te, & d' assurer *que tout ce qu'il y a de bon au monde*, se trouve renfermé dans son „ sein. Ces expressions sont repetées cent fois „ dans Fra *Paolo* „. Quid ergo est, verum Protestantem se exhibere, si hoc non est? Nisi fortasse *Febronius* adsentiri malit *le Courayero* scribenti in *Sarpii* vita *p.*64. fuisse illum *Catholique en gros*, *& quelquefois Protestant en detail*. Sed alia gravioris fortasse momenti praesto sunt. Facultas vestra XXII. Augusti a. MDCXI. scelestissimum *Mornaei* librum inscriptum: *Mysterium iniquitatis*, *seu historia Papatus*, atque eo spectantem, ut *Paullum* V. Antichristum esse suaderet, edita censura damnaverat. Boni omnes Facultati plausere. Quid *Sarpius*? *Sorbona*, inquit ille ep. LXXV. Mornaei *Librum configens majorem potuisset sapientiam ostendere .... Ejus judicia olim magni fieri consueverant*; *sed ab aliquo jam tempore multum pristinae*

stinae existimationis amisere.... Sorbonici majore studio gloriam Dei terrestris, quam coelestis Numinis prosequuntur. Pejora dicam. *Sarpius* non modo veluti *communem hostem* (1), cujus exitio Christianae Reipublicae pax tandem redderetur, *Romanum* Pontificem spectavit; sed ut Turcae sociis & auxiliariis Hollandis, scilicet Calvinianis, *Italiam* vastarent & diriperent, *Romam* vero ac Pontificiam Cathedram exscinderent, funditusque delerent, exoptabat. Legitote illius epistolam XCV., ubi *id demum*, inquit, *Italiae salus, atque adeo universi orbis foret*; ac demum quid de *Febronio* ejus laudatore & vindice sentiendum sit, pro vestro in rem Catholicam studio decernite. Ne quid tamen dissimulem, *Febronius* eorum, quae pro *Sarpio* obtrudit, vadem exhibet *p.* 360. *Franciscum Griselinium in anecdotis* ad Fr. Paulli *vitam* an. 1761. ex Italico Germanice editis, illumque ait *solide* confutasse, quae *Sarpio* a *Burneto*, *Bossuetio*, ceterisque objecta novimus. Verum ne terreamini. Paullo post edita *Venetiis* MDCCLX. *Griseliniana* anecdota monumenta prodiit apud nos libellus inscriptus: *della impudenza letteraria sermone parenetico di* A. C. *contro un libro intitolato*: ,, Memorie ,, anedote spettanti alla vita, e agli studj di Fr. ,, Paolo Servita *raccolte*, *e ordinate da* France- ,, sco Griselini. Quid ad hanc impudentiam addi potest? *Cic. V.Verr.* ,, Nimirum clarissimus Auctor, qui sub litteris illis *Arcadici* nominis indici-

(1) *Ep.* 75. *p.* 426.

dicibus latet, numquam suspicatus fuisset, *Febronium* aliquem *Griselinio* impudentiorem paucis post annis proditurum fuisse. Sed haec mitto. Id enimvero praetereundum non est, ipsa illa, quae ex *Griselinio* ad convellendam *Burneti* narrationem, ac *Sarpii* cum *Bedello* necessitudinem in dubium revocandam *Febronius* veluti *solida* profert, in praeclaro illo libello *p.* 33. *seqq.* non *solide* solum, sed etiam salse & eleganter refelli. Ceterum non is ego sum, qui *Sarpium* Protestantibus indubie adcensendum velim. Hoc contendo, non debuisse illum tanto studio a *Febronio* defendi, nec tanta quam ille passim praesefert, confidentia nobis objici illius auctoritatem.

Thesis X. Febronii *systema S.* Bernardo *per summâ injuriam adscriptum*

XII. THESIS X. FEBRONIANA *de S.* Bernardo Febroniani *systematis auctore*. *Ego sane in scriptis divi* Bernardi (*quamquam vir Sanctus non potuerit non obscuri sui saeculi doctrinis de plenitudine Pontificiae Pooestatis tinctus fuisse*) *invenio lineamenta*, & *compendium totius fere* Febroniani *systematis*. Eamdem *Febronius* sibi laudem in appendice prima primi Voluminis *pag.* 777. tribuerat his verbis: *Ego S.* BERNARDVM *sequi cupio*, *qui animo amico*, & *optimo fine summis Pontificibus multa exprobravit*. Verum *Febronius*, antequam tantam *Bernardo* injuriam irrogaret, quanta est suum illi systema adscribere, animadvertere debuit, se exaggeratis aut etiam confictis *Romanae* Curiae vitiis ad deneganda Primatus jura contra omne fas abuti; *Bernardum* vero vitia exprobrasse, jura agnovisse. Quae porro nos

quum S. Abbas non nisi vitia, quae

nos inter ipsumque disceptatio est, de jure agit, non de hominibus legitima potestate abutentibus. Haec autem vere a me dicta esse intelligetis, si singula *Febronianae* cum S. *Bernardo* comparationis capita perpenderitis.

1. Inquit: (S.Bernardus) *sustinet* Lib.III. de Considerat. cap. 4. n. 17. *jura Episcoporum non minus immediate a Deo esse, quam quaecumque jura Pontificis, adeoque huic non licere quidquam ex illis aut minuere aut detrahere, non suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt Patres.* Intelligo. Verum ubinam quaeso ait *Bernardus, non minus jura Episcoporum* IMMEDIATE *a Deo esse, quam quaecumque jura Pontificis?* Non eo certe loco, quem *Febronius* designat. Ait ibi, omnem potestatem a Deo esse, immediatene, an secus, non ait. Immo vero haec *Bernardi Febronius* perpendat. *Ego enim,* inquit eo ipso capite, *propter similitudinem dictum reor, quod sicut illic Seraphim, & Cherubim, ac ceteri quique usque ad Angelos & Archangelos ordinantur sub uno capite Deo; ita heic quoque sub uno summo Pontifice Primates, vel Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non est parvi pendendum, quod & Deum habet auctorem, & de Coelo ducit originem:* Haec nemo non videt ad omnes nuper indicatos pertinere, Primates, Patriarchas, Archiepiscopos, Abbates, & reliquos, puta Capitulorum Praepositos. Numquidnam Abbatum, Praepositorumque Capitularium potestas Deum habet

quaedam Curiae Romanae *reprehenderit, salvis omnibus Primatus* juribus: *uti sunt* 1. *Jus in Episcopos, quos num. quam ait* immediate *a Deo suam obtinere dignitatem.*

habet *immediatum* auctorem, & de coelo *immediate* ducit originem? Caveat *Febronius*, ne tantam *Bernardo* inscitiam tribuat, ut isthaec omnia uno Ecclesiastico jure in Ecclesiam invecta fuisse ignorarit. Praeterea quei *Febronius Bernardum* hac in re appellare non timuit? *Subtrahuntur*, inquit ille, *Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus. Bonane species haec? Mirum si excusari queat vel opus*. Adrigat nunc aures *Febronius*. *Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiae forte non item. Facitis hoc* QVIA POTESTIS, *sed utrum & debeatis quaestio est*. Intelligitne? Vitia, quibus *Romana* Curia fortassis implicata sit, ad quaestionem spectant, utrum Pontifex hoc illudve *facere debeat*. Hanc ego quaestionem Deo dirimendam relinquo, nec siqui forte ejusmodi abusus etiamnum vigeant, probo. Quaestio *Febronium* inter & nos alia omnino est. Hoc quaerimus, num Pontifex ea ipsa facere *possit*, quae ubi absque legitima caussa fiant, *Bernardo* reprehendenda videbantur. Negat *Febronius*; adfirmamus Romano-Catholici, qui ab ipso *Bernardo* adcepimus, potestatem ex vitiis, quae in ejus usu admittantur, frustra convelli. Quid igitur *Bernardum* nisi insipientissime ostentat?

quamvis sine dominatu. Sed pergit *Febronius*. 2. (inquit Bernardus) *illum* (summum Pontificem) *non esse Dominum Episcoporum, sed quasi unum ex ipsis*. Lib. IV. de Consid. cap. 7. At quid haec ad *Febronium*? Numquid Summum Pontificem *Dominum*

unum Episcoporum Romani facimus? qui eos ab illo *fratres* appellari & haberi novimus? Meminerit *Febronius*, se *aequalem omnium Episcoporum auctoritatem* T. I. cap. VII. §. 1. statuisse; meminerit sua haec esse eodem loco *pag.* 538. „ Episcopi in administratione suarum „ Ecclesiarum NIHIL jure divino recognoscunt reservatum Papae: „ meminerit se ejusdem tomi *p.* 537. scripsisse: „ in ipsam ergo Apostolicam auctoritatem Episcopi succedunt, ita nimirum, ut quidquid potestatis Episcopalis, id est ad regimen Ecclesiae spectantis, *Apostoli* habuerunt, id ab „ Apostolis in *Episcopos* transfusum sit...... „ omnibus & singulis Apostolis dictum est: „ *Quidquid ligaveris ..... quidquid solveris ....* „ Nullus *quoad hoc* altero superior aut major est; nullus alterius hac in parte jus & „ potestatem limitare aut restringere potest, „ quippe quae omnibus eadem plenitudine data fuit & independentia. „ Haec nobis falsa sunt, & Primatum de medio tollere videntur. Quaero: an *Bernardus* dum Pontificem negat esse *dominum Episcoporum*, isthaec *Febroniana* figmenta, quae tamen *Februniani* systematis praecipuum quoddam caput sunt, docuerit? Haud crediderim, tantae aut audaciae, aut inscitiae *Febronium* fore, ut haec ex negato Pontificio in Episcopos dominatu proficisci contendat. Nam nos quoque hunc inficiamur, neque tamen umquam adducemur, ut illa cooptemus. Videat etiam, num S. *Hieronymus* Episcoporum juribus detraxisse dicen-

dus sit, quod epist. LXXII. ad *Theophilum* adversus errores *Joh. Hierosolymitani* ait: *contenti sint* (Episcopi) *honore suo, patres se sciant esse*, NON DOMINOS. Quod si id de *Hieronymo* nonnisi inepte adfirmari posse concesserit (concedat autem necesse est, nisi rideri velit); quid igitur verissima illa *Bernardi* propositio ad rem nostram faciat? Nihil omnino. Hoc unum ostendet, *Febronium* & heic suo more nugari, aut potius insidias minus peritis instruere.

Sed cum plenitudine potestatis nullis limitibus circumscripta,

Insanit porro, dum de *Bernardo* subdit. 3. *eumdem* (*Romanum* Pontificem) *non dici summum consummatione, quasi in eo omnia consummentur, sed* comparatione *ad alios Episcopos* Lib. II. Cap. 7. n. 14. 4. Insanire *Febronium* heic ajo. Quid enim? Vidimus illum adferentem, omnium *Episcoporum* AEQVALEM *esse auctoritatem*. Audet tamen *Bernardum* adferre scribentem: *Tu vero considera, non consummatione summum te dici, sed comparatione. Nec me putes comparatione dicere meritorum, sed ministeriorum. Sic te existimet homo ut ministrum Christi, & quod absque praejudicio sanctitatis cujuspiam dixerim*, SVMMVM *plane* INTER MINISTROS. Quod latius sequenti capite VIII. exponit in haec verba: *alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si caussa exstiterit, tu Episcopo coelum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere,* etiam

etiam & tradere Satanae potes? Haec *Bernardus*. An non ergo insanire dicendus *Febronius* sit, qui *Bernardum* suum sibi systema praemonstrasse jactat? Quid enim tam dissentaneum quam a *Bernardo Febronii* systema. Ait ille, aliorum Episcoporum auctoritatem certis arctari limitibus; negat hoc *Febronius*, qui *aequalem* omnium Episcoporum ita praedicat auctoritatem, ut *T. I. cap. III. p.* 161. docuerit: *Hoc igitur sensu potestas Episcopi* Eugubiensis *tam late se extendebat, quam Episcopi* Romani, *& Episcopus* Rhegiensis *aeque totius Ecclesiae Episcopus erat ac* Constantinopolitanus; *ex quo nullus officii Episcopalis actus sit, quem non quisquis eorum*, exigente necessitate, *sine ulla dispensatione, potuisset peragere*. Ait ille alios Episcopos vocatos esse *in partem sollicitudinis*, Pontificem *in plenitudinem potestatis*: contra *Febronius* T. I. ca. III. §. 5. scripserat; *Variae spuriae decretales a nobis alibi referendae*, Romano *Pontifici tribuunt* plenitudinem potestatis, *dum interim reliquos Episcopos tantum in* partem sollicitudinis *vocatos esse volunt. Possent illae fundamentum videri habere in epistola XII. S.* Leonis *Papae .... Verum agitur heic aperte de potestate* Patriarchali, *quam eo tempore, idest saeculo V.* Romanus *Pontifex per Illyricum obtinuit*. Immo hoc ipso, quem expendimus T. III. p. 242. de *Bernardo*, ut vidimus, scripserat: *quamquam vir sanctus non potuerit non obscuri sui saeculi doctrinis de plenitudine Pontificiae Potestatis tinctus fuisse*. Ait ille, posse a summo Pontifice Episcopos

vi cujus ipsos deponere possit Episcopos.

deponi, quod & epistola ad *Eugenium* CCXXXVIII. inculcat; *Febronius* vero T. III. *p.* 299. iterum adfirmat, *caussas depositionis Episcoporum ex Canonum dispositione ad Synodos Provinciales usque ad receptionem spuriarum decretalium constanter pertinuisse*. Quid? quod S. *Bernardus* non solum, quae hactenus audivimus, ep. CXXXI. confirmat; sed alia addit a *Febronio* oppugnata. *Plenitudo siquidem*, inquit, *super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit*, DEI ORDINATIONI *resistit. Potest si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & e converso, si necesse visum fuerit &c.*

2. jus appellationum.

Audiamus alia. 4. (Bernardus) *appellationes ad* Romanam *Curiam, tum sicuti nunc in quibuscunque caussis recipi soitas, multum damnat, tam in* Lib. III. de consid. Cap. 2. *quam in epist.* 178. & seqq. 5.) *dispensationes sine caussa, hodie tam frequentes* crudeles dissipationes *vocat, exigens ad hoc, ut legitima sit dispensatio, caussam vel necessitatis, vel utilitatis, non privatae sed publicae* cit. Lib. III. Cap. 4. num. 18. Verum & ista proferre num sani hominis sit, viri doctissimi judicate. Romano *Pontifici ex natura & jure Primatus non competit jus Appellationum ex omnibus totius Ecclesiae partibus. Febronii* haec thesis est *T. I. pag.* 327. quae

To-

Tomo III. *p.* 295. *seqq.* confirmatur. Non ergo appellationum vitia tantummodo redarguit, sed ipsarum jus *Febronius* summo Pontifici eripit. Quid *Bernardus*? Vitia equidem obiurgat, ait enim l. c. *Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem, atque abusionem? Praeter jus & fas, praeter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non caussa discernitur, aut persona. Praesumuntur leviter passim, plerumque & nequiter*. Jus tamen appellationum non solum confirmat, sed necessarium statuit. *Magno*, inquit eodem capite, *in his & pio opus intuitu est, ne quod* MAGNA *fuit* NECESSITATE *provisum, male utendo reddatur inutile..... Appellatur de toto mundo ad te; id quidem* IN TESTIMONIVM SINGVLARIS PRIMATVS TVI. Ad dispensationes quod adtinet, caussas *Bernardus* adfert, quae ut dispensare liceat, expediatque, a fideli dispensatores sub oculos habendae sint. Ad earum jus quod spectat, illud *Romano* Pontifici adeo non negat, ut diserte profiteatur: *Quid, inquis, prohibes dispensare? Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem*, neque id juris ab Ecclesia summo Pontifici tributum *Bernardus* agnoscit, ut *Febronius T. I. cap. V.* §. 5. *pag.* 321. somniat; illud ex ipso divino jure utique primatus adcersit. Qui enim summo Pontifici *Plenitudinem potestatis* a Christo collatam agnovit, poterat ne de dispensationum jure ab Ecclesiae concessione repetenda cogitare?

3. Jus dispensationum.

 Quin-

Quinque capita superessent, in quibus *Febronius* inter se ac *Bernardum* comparationem instituit. Ea vero quum ad auri cupiditatem, ad tuendae dignitatis studium, ad dominatus fastum, idque genus vitia pertineant, non est cur in his immoremur. Nam quod magnus Cardinalis *Sadoletus* in oratione ad *Germaniae* Principes ajebat, *confitemur nosmet ipsi, & concedimus, aliqua fieri in hac urbe, quae merito reprehendenda sint; non pauciora tamen esse adfirmamus, quae summe sint laudanda: nusquam enim caritas, nusquam amicitiae, & familiaritatis fides, nusquam in egentes misericordia, neque sanctius colitur, neque majore studio curave exercetur. Ipsa vero erga Deum Religio heic sancta, & semper sincera est. Sunt quidem vitia heic intermixta permulta, quod necesse est, ex omnium fere gentium conventu conflata hac civitate. Sed tamen in turba, & colluvione vitiorum, multorum eximiae virtutes elucescunt, quibus aequum profecto fuit parci ab eis, qui omnes & omnia in crimen, atque invidiam uno nomine vocant*. Febronio autem antequam se *Bernardi* exemplo in hisce, si vera sint, vitiis obiurgandis tueretur, duo mea quidem sententia fuerant consideranda. Alterum est, *Bernardo* quum morum integritate ac sanctimonia fulgeret, multa licuisse, quae nisi sanctitatis fama atque auctoritate sustententur atque emolliantur, ferenda vix sint. Alterum vero, ad summos Pontifices privatas illum dedisse litteras, non toto orbi, quos in *Romanam* Curiam irrepsisse aegreferebat, abu-

In ipsa vitiorum reprehensione quantum inter S. Bernardum, & Febronium discriminis intercedat.

sus

ſus divulgaſſe, magno apud haereticos Catholici nominis opprobrio, majore apud Catholicos Pontificiae dignitatis invidia. Jam *Febronius* ſe cum *Bernardo* conferat, per me licet, ſed utinam quod inter utrumque diſcriminis intereſſe omnes agnoſcimus, perſpiciat ipſe, ſuamque ad maledicendum licentiam fateatur.

Epiſtolae concluſio.

Veſtrarum interea partium erit, ſapientiſſimi viri, ad id illi veſtro quoque judicio ſtimulos addere. Nam quum ille Gallicanam Eccleſiam a ſe ſtare confidentiſſime jactet, ubi a ſummis *Sorbonicae* Facultatis Doctoribus ſua improbari dogmata noverit, fieri vix poterit, quin tandem ſe Gallicanae Eccleſiae praeſidio deſtitui agnoſcat, ac reſipiſcat. Valete viri doctiſſimi, atque uti hactenus conſueviſtis, rem Catholicam diligenter curate. Quincto Kal. Octobres MDCCLXXIII.



EPISTOLA III.

Ad Italos, Germanosque Febronii *oppugnatores*, *ut a refellendo tertio ejus tomo*, *in quo praeter effraenatiorem in* Romanos *Pontifices licentiam nibil est non antea ab ipsis contritum*, *penitus abstineant*.

Inanes quorumdam conquestiones de non refutato tertio Febronii *libro*.

QUum multos saepius audirem conquerentes, neminem vestrum, viri Clarissimi, qui primum alterumque *Febronii* librum in *Italia* nostra, ac *Germania* magno Catholicae veritatis bono refelleratis, ad tertium, qui effraenatissimam quamdam in summos *Romanae* Ecclesiae Pontifices licentiam praeseferret, confutandum hactenus adcessisse; ad ejus lectionem quadam ductus curiositate me contuli. Dicam quod res est. Levitatem illorum, qui necessariam novi hujus operis refutationem praedicabant, statim agnovi. Graviora equidem nescio quae errata in eo libro reperi, quae & sedulo adnotavi, immo & illa mihi duabus epistolis, altera ad ipsum *Febronium*, altera ad celeberrimos *Sorbonicae* Facultatis Doctores, arguenda suscepi. Animadverti tamen, quod vestras omnes in *Febronium* lucubrationes evolveram quam diligentissime, cum haec, tum plurima alia, quae in oculos incurrerunt, a vobis occupata antea fuisse, ut qui huic libro responsum cupiat, illum nihil eorum, quae a vo-

quum nihil in eo sit non antea a Romano-

vobis ad superiorum voluminum confutationem egregie conscripta habuimus, vidisse necesse sit. Sed & illud in mentem venit, ab ejusmodi dimicatione cessandum vobis esse aliquando, ne quum ille nonnisi veteres, atque in vestris vindicationibus plane depulsas adversus Apostolicam Sedem, Curiamque *Romanam* calumnias impudentissime iteret, bonas horas in iisdem rursus removendis conteri a vobis glorietur. Rogo igitur vos, obtestorque, viri doctissimi, ut ab inani fere labore abstineatis, quumque in dies libris concurratur undique ad minuendam, ac si fieri posset, labefactandam non Ecclesiae modo dignitatem, auctoritatemque, sed ipsam quoque Christianam Religionem, *Febronio* dimisso, laudabile vestrum in Ecclesiam studium illorum refutatione utilius comprobetis. *Catholicis Scriptoribus plane contritum.*

II. At quid illis fiet, qui *Febronianum* opus responsione indigere existimant? Eis quoque consulendum, ne forte illud non quod inutile, sed quod perdifficile factu sit, non refelli falso sibi persuadeant. Consulam enimvero abunde una cum *Antifebronii*, qui *Pisauri* primum, deinde *Caesenae* Italice prodiit, tum *Antifebronii vindicati*, qui *Caesenae* quoque latine excusus est, cum tertio hoc *Febronii* tomo instituta comparatione. Videte, Viri clarissimi *Sappellii*, *Sangalli*, *Trauttweinii*, *Viatores a Cocaleo*, *Ennodii Faventini*, *Kauffmansii*, ceteri omnes, qui calamum in *Febronianam* audaciam acuistis, videte inquam, quantum bonitate caussae nostrae confidam. Commentarios vestros adprime novi, plurimi facio, *ut vel una cum Antifebronii collatione demonstrandum suscipitur.*

val-

valde commendo. Ut tamen *Febronius* intelligat, se libris multiplicatis nihil proficere, tertio quoqne huic tomo unum *Antifebronium* oppono. Nihil fere si viderit in eo contineri, quod non ibi discussum penitus sit, atque contritum, desinat tandem suis voluminibus litterariam Christianamque Rempublicam onerare. Siquid tamen occurrit, quod in *Antifebronio* fuerit praetermissum, vel epistolas meas, ubi illud fortassis adtigi, indicabo, vel aliqua animadversione dispungam. Consilium meum probabitis, spero, eruditissimi viri: de exitu securi sunt animi. Valete & plaudite.

TERTII FEBRONIANI VOLVMINIS

Cum Antifebronio *Italico; eodemque latine vindicato*

COLLATIO.

FEBRONIVS

B*ona caussa* (1) Just. Febronii *adversus* P. Viatorem a Cocaleo, *& alios Scriptores defensa*.

TITVLVS I.

De exteriore forma regiminis, quam in sua Ecclesia Christus Domi-

Confer *Antifebronium Caesenatis* editionis, quam unam indica-

(1) *Nihil mendacius*.

minus instituit.

§.I. *De Textibus Sacrae Scripturae* (Matth. XVI. 18. & Joh. XXI. 15. seqq.) *quibus* Romani *ad fundandum statum Monarchicum abutuntur.*

cabo, T. I. diss. I. cap. 4. & 5. & *Antifebronium vindicatum T. I. diss. II. cap. 3.*

ANIMADVERSIONES

In quaedam hujus tituli loca.

1. Ad illud *Johannis* XXI. *Pasce oves meas* ait *Febronius* p. 4. *Agnoscunt quidem* Romani, *Ecclesiae ministerium sicut* Petro, *ita & aliis Apostolis commissum esse, sed his, inquiunt, per illum, quippe cui soli Christus dixerat*: Pasce oves meas. Haec ille. Errat *Febronius*. Non hoc *Romani* dicunt, sed *soli Petro* commissam iis verbis a Christo *universi* gregis, *universaeque* Ecclesiae curam cum amplissima *ordinaria*, ut ajunt, & in successores derivatura potestate, quum Apostolorum illa extraordinaria fuerit, neque ad successores dimanare deberet. Ceterum *Bellarminus* ipse cum *Cajetano*, *Dominico Soto*, *Francisco Vargas*, *Hervaeo*, aliisque pluribus antiquis Theologis *de Rom. Pont. Lib. IV. cap.* 23. multis ostendit, Apostolos a Christo (non per *Petrum*, ut *Febronius* ait) *jurisdictionem omnem adcepisse*, licet primatui *Petri* obnoxiam.

2. Ut *Febronius* hanc, quam nobis adfin-

fingit, sententiam refellat, sic pergit. ,, *Christus*, ait Vas electionis ad Ephes. IV. IX. 11.
,, 15. *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinae .... Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*. Tale est
,, sacri ministerii opus: sed cui mandatum hoc
,, opus? Omnibus Apostolis, respondet Paullus,
,, omnibus Pastoribus atque Doctoribus. A quo
,, autem ministerium suum adceperunt isti? Num
,, a *Petro*? Nequaquam, sed a Christo? *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos* &c. Ergo Christus omnes Apostolos, omnesque Pastores posuit, sicut & *Petrum*, ut aedificent Ecclesiam suam. Atque ita quotquot sunt, tot sunt hujus aedificii a Christo adscita fundamenta; quisque juxta mensuram suae vocationis & proprii laboris. Proinde promissio ista: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, per eos omnes sicut per *Petrum* impletur; ergo ad eos, sicut ad *Petrum* spectant praedicta verba ,,. Quot heic absurditates! Primo enim, ut optime idem *Bellarminus* adnotat *de Rom. Pont. lib. IV. cap.* 25. eo loco *Paullus* exprimit *generalem Ecclesiae ordinem, qui sine dubio de jure divino*

o est. Deus enim est, qui instituit, ut in Ecclesia essent Apostoli, Prophetae, Pastores, & Doctores, etsi non omnibus immediate auctoritatem ipse dederit. Quid hoc autem ad universum *Petri* in omnes Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores primatum? Quod si vero daemus non Apostolos modo, & Prophetas, sed & Pastores omnes atque Doctores a Christo positos, quae isthaec collectio esset, verba illa Christi, *& super hanc Petram ad eos, sicut ad* Petrum *spectare?* Quasi vero non potuerit Christus & illos in Ecclesia constituere, quin essent Ecclesiae fundamenta. Si *Febroniana* dialectica probetur, quidni & allegoricum *Origenis* commentum adrideat *T.XII. in Matth. num.* 10. *Petram* ajentis *esse omnem discipulum Christi*, omnes scilicet Fideles, etiam laicos, *& super quemlibet hujusmodi petram aedificari omnem sermonem Ecclesiasticum, & vitae juxta ipsum institutae rationem*. Fac tamen & hos omnes Ecclesiae fundamenta aliquo sensu haberi posse. Nego de illis Christum loquutum, quum *Petro* dixit: *& super hanc Petram*. Certe in veteri Sacramentario *Gallicano* apud *Mabillonium* (*Mus. Ital. T. I. P. II. p.* 343.) non Apostoli, sed unus *Petrus* dicitur Ecclesiae fundamentum: *ex quibus* (Apostolis) *beatum* Petrum *in fundamentum Ecclesiae conlocasti*, praecipuum scilicet post Christum, seu, ut loquitur idem *Origenes* Hom. V. in Exod. n.4. MAGNVM *fundamentum Ecclesiae*. Immo S. *Cyprianus* in Lib. de *Unitate Ecclesiae* diserte ait: *super* VNVM *aedificat Ecclesiam suam*. Quo etiam spectat illud S. *Leonis*

nis M. *Serm. III. in Anniv. die suae Adsumpt. cap. II. de toto mundo unus* Petrus *eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat* Petrus, *quos principaliter regit & Christus*. Vide *Antifebronium T. I. Diss. I. cap. VI. n. 5. seqq.*

3. Ait *Febronius* p. 5. *Verum inquit cum suis* Romanis Italus *noster* pag. 30. *si per haec verba* super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; *& per illa* Tibi dabo claves Regni Coelorum, *nullum singulare privilegium intelligitur, cur ergo ea proferens ad* Petrum *sermonem vertit? Respondent Patres, signanter* Cyprianus, Pacianus, Optatus, Augustinus, *alii, noluisse Dominum de sua Ecclesia & clavium potestate loqui nisi uni, ut hujus Ecclesiae significaret unitatem*. Fallitur heic suo more *Febronius*, aut fallit. Patres, quos indicat; non in ea fuerunt opinione, ut uni *Petro* loquutum Dominum crederent ad Ecclesiae unitatem solummodo *significandam*, sed uni *Petro* datum primatum senserunt ad eamdem unitatem potissimum constituendam, atque servandam. Ordior a *Cypriano*. Ait quidem ille in Libro de *unitate Ecclesiae*, *Petrum* a Christo constitutum Ecclesiae Principem, ut *unitatem manifestaret*, & *ut Ecclesia una monstretur*. „ Non ideo tamen, ut recte ait Ballerinius „ in Libro de *vi ac ratione primatus p.* 107., „ haec a vi praecipua *Petri* unitatis ipsius origi-

,, riginem continentis atque formantis disiungitur. Sic enim integer textus habet etiam ,, ex editione *Oxoniensi* & *Baluziana*, ubi nonnulla pro Primatu *Petri* olim vulgata; ex ,, nonnullorum Codicum lectione expuncta fuerunt. *Quamvis Apostolis post resurrectionem* ,, *suam parem potestatem tribuat .... tamen* ,, *ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem* ,, *originem ab uno incipientem sua auctoritate* ,, *disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti & honoris & potestatis; sed exordium* ,, *ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi* ,, *una monstretur. Petri* Primatum heinc everti *Fellus* & *Simon Goulartius* contendunt, ,, eo quod Apostoli S. *Petro potestate pares* dicantur. Sed non observarunt, pares dici omnes excepta vi non solum repraesentandae, ,, sed *exordiendae*, seu formandae unitatis, ,, quae uni *Petro* adseritur. Hanc autem vim ,, aliis in locis a S. Martyre constanter & luculentius expressam, ex ipsius mente vim ,, esse primatus propriam atque praecipuam ,, dubitare non licet, quum praesertim ep. LV. ,, *Petri* Cathedram *Ecclesiam principalem* adfirmet, ex qua *unitas Sacerdotalis exorta est*: ,, quae verba unitatis ejus formandae vim *principalitatis* ipsius Cathedrae propriam atque ,, praecipuam significant ,,. *Pacianus* quoque *Barcinonensis* Epist. III. ait: *ipso referente* Matthaeo *paullo superius ad* Petrum *loquutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno, mox idipsum in commune praecipiens.*

,, Vi-

„ Vides, inquit *Ballerinius L.C. p.* 118. ratio-
„ nem tradendae ejus potestatis prius uni *Petro*
„ (utique caussa primatus, ad quem totus ille
„ Evangelicus contextus pertinet) referri ad
„ unitatem Ecclesiae, quae non mere reprae-
„ sentaretur in uno *Petro*, sed ex ipso *uno for-*
„ *maretur*. Unitas porro omnium ex *uno for-*
„ *mari* nequit, nisi omnes cum illo uno con-
„ veniant, atque uniantur, quod vim in eo
„ praecipuam exigit, qua omnes ad unitatem
„ secum custodiendam obligentur „. Similia
sunt quae *Optatus* tradit Lib. II. C.II. *Negare* inquit, *non potes, scire te in urbe* Roma Petro *primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput* Petrus, *unde & Cephas appellatus est, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret* „.
„ Nempe sicut Episcopatus unitas formatur in
„ *Petro* (ut idem Ballerinius animadvertit *p.*
„ 119.) quatenus omnes *Petro* supremo Episco-
„ po in unitate communionis & fidei adhaere-
„ scunt; ita quatenus omnes *Petri* cathedrae
„ utraque unitate adhaerent, Cathedra in *Pe-*
„ *tro* pariter una efficitur; & hac ratione in
„ ea *una Cathedra unitas servatur ab omnibus,*
„ *ne ceteri Apostoli singulas*, idest separatas
„ Cathedras *sibi quisque defendant*, atque con-
„ stituant „. Quamobrem Apostoli quoque ex *Optati* sententia in una *Petri* capitis sui Cathedra unitatem servare debuerunt. Atque hoc adeo

adeo exploratum *Optato* erat, ut *Lib. VIII. c.* 3. communionis unitatem cum *Romana* Cathedra servandam esse suaserit Apostolorum exemplo, qui *bono unitatis per caritatem voluerunt a* Petri (licet Christum negasset) *communione recedere*; idque ex institutione ipsius Christi derivat, quem idcirco claves Regni Coelorum supremam auctoritatem significantes *soli Petro* dedisse ait, *ut unitatis negocium* FORMARETVR.

4. *De reliquo*, inquit Febronius p.8. Petrum *quidem a* PAVLLO *edoctum*, *&* *correctum prodit Scriptura*; *id autem a* Petro *erga quemvis alium Apostolum nullibi videmus praestitum*. Expecto, ut hinc *Febronius Paullum*, non *Petrum* fuisse a Christo primatu donatum arguat. Sed ne quis in re tanti momenti fallatur, describam, quae *Ballerinius* L. C. *p*. 80. sapienter adnotavit. ,, Unitatem suae Fidei cum ,, fide *Petri* ut *Paullus* Apostolus probaret, *Hierosolymam* adscendit *videre Petrum* cum ipso ,, aliquid collaturus (*ἱστορῆσαι* enim in Graeco ,, textu est latine videre *percontandi*, seu *conferendi aliquid gratia*, *ut Erasmus* & *Heinsius* a *Calmeto* laudati observarunt); & in ,, hunc finem apud eumdem diebus quindecim ,, stetit. Quod quum idem Apostolus adhibeat ,, veluti argumentum rectae suae praedicationis, quemadmodum *Bossuetius* (in *Meditation. in Evangel. ubi de sermone Christi* tempore *ultimae coenae agit num.* 70.) animadvertit, satis innuit, praedicatum abs se ,, Evangelium se cum eo contulisse, non quod

 ,, ipse

„ ipse de eo quidquam ambigeret, sed ut hac „ collatione & unitate cum *Perti* praedicatio- „ ne & fide aliis, qui dubitarent, ipsum om- „ nino certum demonstraret. S. *Jacobus Hie-* „ *rosolymis erat* (addit *Bossuetius*), *&* *San-* „ *ctus* Paullus *eo non adscendit*, *ut* Iacobum „ *videret*, *sed ut viderem*, *inquit*, Petrum: „ *cum eo fuit diebus quindecim*, *&* *hoc testi-* „ *monio suam praedicationem confirmavit*. *Id* „ *autem ostendit*, *quod quum post annos qua-* „ *tuordecim inspirante Spiritu Sancto* Hieroso- „ lymam *iterum perrexit*, *ut cum Apostolis* „ *conferret Evangelium*, *quod Gentilibus prae-* „ *dicabat*, S. Petrum *potissimum eo consilio in-* „ *visit*, *ne in vacuum curreret*, *aut cucurris-* „ *set*. Quibus concinens S. *Thomas Cantuarien-* „ *sis*, *Doctor gentium*, inquit, *qui gloriatur*, „ *se non ab homine*, *nec per hominem Evan-* „ *gelium didicisse*, *sed instructus a Christo*, „ *adscendit* Hierosolymam, *cum Ecclesiarum* „ *Principe de fide contulit*, *ne forte in vacuum* „ *curreret*, *vel cucurrisset*: vacua nimirum „ esse, aut videri poterat praedicatio fidei, „ quae cum *Petri* praedicatione ac fide Eccle- „ siae fundamento una esse, atque cohaerere „ non probaretur. Id ipsum etiam *Tertullia-* „ *nus* subindicat in Libro *de Praescript.* c. 23. „ ubi adfirmat, S. *Paullum adscendisse* Hieroso- „ lymam *cognoscendi* Petri *gratia*, *ex officio* „ *&* *jure scilicet ejusdem fidei &* *praedicatio-* „ *nis*, quae unitatis probandae consilium satis „ declarant „. Nec praetermittendum, anti- qui moris, quo ad *Romanum* Pontificem gravio-

res

res caussae, praesertim fidei referebantur, initia ad ipsa Apostolorum tempora *Theodoretum* in epistola ad S. *Leonem* revocare, ejusque primum exemplum proferre ex Apostolo *Paullo*, qui *praeco veritatis, & tuba Spiritus Sancti*, in prima tamen illa de legalibus controversia, ut exemplum posteris relinqueret, *ad magnum* Petrum *se contulit, ut iis, qui* Antiochiae *de legali conversatione ambigebant, explicationem ab ipso referret*.

§. II. Claves immediatius Ecclesiae traditae sunt, quam PETRO.

Vide Antifebron. T. I. Diss. I. Cap. IV. §. 3. & Antifebr. vindic. T. I. Diss. II. Cap. II. item Epistolam I. n. 7. & 8. ac II. num. 4.

§. III. *Donum inerrantiae in rebus fidei Corpori Ecclesiae, non* Romano *Pontifici datum est*. Hoc loco *Febronius* celebre illud comma *Lucae* XXII. *ego autem rogavi* eludere conatur.

Antifebr. T. II. Diss. II. cap. 10. n. 2. seqq. Antifebr. vindic. T. II. Diss. V. cap. 3. num. 4. seqq.

§. IV. *Episcopatus in Ecclesia unus, omnibus Apostolis, & Episcopis eorum successoribus communis a Christo institutus est*.

Antifebr. T. II. Diss. II. cap. 7. Antif. vindic. T. I. Diss. III. cap. 3. 4. & 5.

ANIMADVERSIO.

Auctor *Antifebronii vindicati* Diss. III. cap. 3. n. 8. explicaturus celebre illud *Cypriani* effatum:

Episcopatus unus est, *cujus* a singulis in *solidum pars tenetur*, *Ballerinii* interpretationem adtulit p.456. nec improbavit, ajentis *de vi ac ratione Primatus cap.* 13. *pag.* 105. : *ita Episcopatus unus est ex* Cypriani *sententia*, *quomodo Ecclesia est una*; *ac proinde pars Episcopatus* in solidum *tenetur ab unoquoque Episcopo*, *quatenus ab unoquoque regitur sua particularis Ecclesia*, *seu suus particularis grex*, *qui est pars Ecclesiae totius*. Eamdem interpretationem deinde comperi multo antea propositam a doctissimo *Francisco Turriano* Lib. I. suae *defensionis adversus nugatorias cavillationes* Antonii Sadeelis Lutherani, *Coloniae* 1580. *pag.* 212. Quod ea etiam de caussa moneo, ut hic *Lutheranus* addatur ceteris heterodoxis *Febronii* ducibus, ac *Cyprianicae* sententiae corruptoribus, quos idem Auctor *Antifebronii vindicati pag.* 451. indicaverat.

§. V. *Priora & feliciora Ecclesiae saecula in* Romano *Pontifice non agnoverunt supremam*, *& independentem juris ferendi & dicendi potestatem*.

Antifebr. T. II. Diss. II. cap. 8. & 9. & Antifebr. vindic. To. III. Diss. VI. cap. 1.

ANIMADVERSIO.

FEBRONIUS ad suam hanc thesim confirmandam exemplis abutitur I. *Asianorum Victori* in suborta de Paschate celebrando controversia parere abnuentium. 2. *Cypriani*, & *Firmiliani* *Ste-*

Stephano repugnantium. 3. *Afrorum* in caussa *Romanarum* Appellationum *Zosimo*, & *Caelestino* subiratorum. 4. *Gallicanorum* Episcoporum, qui ad *Gregorium* IV. *Galliam* cogitantem scripsisse perhibentur, *nullam ipsi potestatem esse aliquem in Dioecesibus suis, se invitis, excommunicandi, aut aliquid praecipiendi; & excommunicatum ipsum abiturum, si propositum suum exequi tentaret*. Quid hoc est, nisi lectorum patientia abuti, qui ista norunt centies depulsa? De *Asianis* vide *Antifebr. T. III. lib. 2. cap. 3. n. 2. & 3.* de *Cypriano* & sociis confer idem *Antifebronii* caput a num. 4. De *Afrorum* cum *Zosimo*, & *Caelestino* ob appellationes dissidio adi eumdem Tomum Antifebr. tertium Lib. III. cap. 4. Demum de *Gregorio* IV. consule Antifebr. vindic. T. III. Diss. VI. cap. 5. n. 12. pag. 177.

TITVLVS II.

De caussis & viis, per quas divino Ecclesiae Primatui varia jura humana adcesserunt.

Vide Antifebr. T. II. Diss. 3. cap. 1. n. 4., & Antifebr. vindic. T. IV. Diss. IX. cap. 2. n. 3.

§. I. Petrus, & *post eum* Romanus *Pontifex; an & quo sensu sit Caput Ecclesiae; quae Ecclesia aliarum Ecclesiarum Mater & Magistra.*

ANIMADVERSIO.

1. Dolet *Febronius* p. 30. *Romanum* Pontificem *caput Ecclesiae* vocari, quum Scripturae & Patres Christum CAPUT *Ecclesiae* passim appellent; aitque: „ sic loquuntur Scriptura & „ Ss.Patres circa nomen *Caput Ecclesiae*, hunc„ que loquendi modum tenere fuisset securius, „ quam talem adhibere loquutionem, quae si„ cut quibusdam praebuit ansam superbiendi, „ ita simplicium mentibus caliginem offundit, „ ne illorum usurpata tam facile discernere va„ leant. Hoc certe facit *Italo* nostro *pag*. 93. „ *& alibi*. Non ignoro, a Patribus Concilii „ *Chalcedonensis* S. *Leonem* Papam *suum* voca„ ri *caput*; scio etiam, qualiter Concilium „ *Florentinum* declaraverit *Romanum* Pontifi„ cem esse *Caput Ecclesiae*. Potuerunt haec da„ re occasionem, & actu multis dederunt, ad„ tribuendi Capiti Ecclesiae *ministeriali*, quae „ tantum debentur *essentiali*, quod est Christus„. Nullum novi inter Romano-Catholicos, qui capiti Ecclesiae MINISTERIALI (*Richeriano* tamen hoc vocabulo parcius *Febronius* utatur) *adtribuerit, quae tantum debentur* ESSENTIALI, *quod est Christus*. Mendacia haec sunt ad invidiam *Romanis* conflandam e coenosis heterodoxorum fontibus temere hausta. Hoc miror, Catholicum virum eo audaciae devenisse, ut *Chalcedonenses*, & *Florentinos* Patres docere se posse confidat, quem *loquendi modum tenere fuisset securius*. Malo ego duorum Oecumenicorum Conciliorum verbis uti, quam *Febronianis*;

nis, quemadmodum a ſanctiſſimis, doctiſſimiſque viris ac Praeſulibus factum ſcio. Sic S. *Theodorus Studites* poſt initium ſaeculi noni ſuo & aliorum Praepoſitorum nomine ad *Paſchalem* I. *Romanum* Pontificem ſcribens, his eum verbis compellabat Lib. II. Ep. XII.: *Audi Apoſtolorum caput, a Deo praepoſite, paſtor ovium Chriſti, janitor Regni Coelorum*, PETRA FIDEI, *ſuper quam aedificata eſt Catholica Eccleſia*. Petrus *enim tu* Petri *Sedem exornans & gubernans*. Sic generalia Gleri *Gallicani* Comitia a. MDCXXVI. in monitis ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni art. C. XXXVII. ajebant: *Epiſcopos hortamur, ut Sanctam Sedem Apoſtolicam colant nec non Eccleſiam* Romanam, *infallibili promiſſione Dei, Sanguine Apoſtolorum, & Martyrum fundatam; matrem Eccleſiarum, per quam ceu per ſacrum caput, ut loquitur S.* Athanaſius, *reliquae Eccleſiae, quae nonniſi ipſius membra ſunt, eriguntur, ſtant, & conſervantur*.

II. *Finaliter*, inquit *Febronius* p. 30., *divina haec Reſpublica cum humanis ſocietatibus nulla ratione comparari poteſt ..... Unaquaeque enim ſaecularis poteſtas ſibi ipſi fingit ſuam regiminis formam, ut haec ſit alibi* pure monarchica, *alibi* pure ariſtocratica, *alibi* democratica, *alibi* per mixturas temperata; *Eccleſiaſtica autem eſt & manere debet* hierarchica non competens uni ſoli, *ſed ut ait* Tridentinum, conſtans ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. Scilicet nondum *Febronius* intelligit, *Hierarchiam* recte dici Eccleſiae ſtatum, licet

Monarchicus ſit. Intelligent tamen quicumque *Antifebronium vindicatum* legerint *T. I. diſs. II. cap.* 5.

§. II. *Papa an, & quatenus ſit centrum unitatis?*

Antifebr. T. II. diſs. II. cap. 2. n. 4. Antif. vindic. T. II. diſs. 4. cap. 1.

ANIMADVERSIO.

I. Horret animus ea recolens, quae hoc paragrapho in *Romanos* Pontifices *Febronius* evomit maledicta. Eos primum evadere poſſe ſchiſmaticos pronunciat: tum ait. „ Sane „ nonnulli ex SS. Patribus *Romanos* ſuae ae- „ tatis Pontifices pro ſchiſmaticis habuerunt, „ ſeque ab eorum communione ſegregarunt. „ Sic S. *Firmilianus* ſcripſit *Stephano* Papae „ Epiſt. 75. inter *Cyprianicas* pag. 150. *Pec- „ catum vero tibi quam magnum exaggeraſti, „ quando te a tot gregibus ſcidiſti. Excidiſti „ enim te ipſum: noli te fallere; ſiquidem ille „ vere eſt ſchiſmaticus, qui ſe a communione „ Eccleſiaſticae unitatis apoſtatam fecerit.* „ Male prorſus, mi *Febroni*, male, ut cum *Ballerinio* loquar *de vi, ac rat. primat. p.* 45. „ nam Papa excommunicatione aliquos ple- „ ctens, licet quodammodo ſe ab ipſis ſeparet; „ quum tamen non ſe, ſed illos abſcindat a „ centro unitatis Catholicae, non ſe, ſed il- „ los a *communione Eccleſiaſticae unitatis*, „ & ab Eccleſia praecidit: ac propterea S. *Ire-*

„ *naeus*,

„ *naeus*, qui eodem, quo *Firmilianus* aestu „ abripiebatur, contrario prorsus sensu *Asianos*, si vere a summo Pontifice excommunicarentur ob aliam controversiam de Pascha„ te, ab unitate Ecclesiae reipsa amputatum „ iri credidit, quum *Victorem* Papam roga„ vit, *ne tam multas Ecclesias omnino propter* „ *traditionis ex antiqua consuetudine inter il-* „ *los usurpata observationem, a corpore uni-* „ *versae Ecclesiae penitus amputaret*, ut testa„ tur Eusebius *lib.* 5. *hist. Eccles. c.* 24. „ Sed pergit *Febronius*. *Ecce alium* (Romanum Episcopum) *directe & reipsa a S.* Hilario *anathemati traditum*: anathema tibi a me dictum *Liberi*, & sociis tuis..... Iterum tibi anathema & tertio *praevaricator Liberi*. *S.* Hilarius *fragm. VI. pag.* 1137. Quo mens ejus evagabatur, dum haec scriberet? Meminerit, id se demonstrandum sumpsisse, *Romanos* Pontifices a sanctis viris *schismaticos* habitos. At si quae recitat, *Hilarium* auctorem habent, hoc demum efficiet, *Liberium* ab *Hilario* ut haereticum damnatum fuisse: tametsi enim, ut ait *Bellarminus de Rom. Pont. lib. IV. cap. IX.* Liberius *haereticus non erat, tamen habebatur propter pacem cum* Arrianis *factus haereticus, & ex ea praesumptione* si idem *Bellarminius* merito potuisse ei Pontificatum abrogari credidit, cur non poterat *Hilarius* in eum anathema dicere? *Non enim*, inquit idem doctissimus Cardinalis, *homines tenentur, aut possunt corda scrutari, sed quem externis operibus haereticum esse vident, simpliciter haereticum*

ticum judicant, *ac ut haereticum damnant*; Quid? quod Anathema illud non excommunicatio fuit, quo *Hilarius* in *Liberium* jus diceret, seque ab ejus communione sejungeret: sed execratio quaedam, qua magnus ille Antistes *Nicaenae* fidei studio abreptus *Liberii* lapsum abominabatur; quod multis ostendit Eminentissimus *Perronius* in eximio opere inscripto *Replique a la réponse du Roi de la grand Bretagne Lib. I. cap. XXVII. p. 153. seqq.* Atque haec dicta sunto, si *Hilario* comma illud tribuere velimus. At *Febronius* ignorare non debuit, non modo complures esse eruditissimos viros, qui illa fragmenta Sancto Antistiti supposita esse statuant; (nam idem *Perronius* ea *Hilario Luciferiano* adscribere mavult; *Dupinius* vero incertum esse illorum auctorem pronunciat); sed doctiores quosque, qui fragmenta legitimum *Hilarii* foetum agnoscunt, ea tamen in opinione versari, ut multa illis apocrypha intermixta esse consentiant, atque in his ipsum illud comma *Liberio* longe injuriosissimum. Mitto *Baronium ad ann. 357. n.* 50. Satis sit *Petavium* in animadversionibus ad *Epiphanii* haeresim LXXIII.; *Benedictinos Hilarii* Editores in notis ad Fragm. II. *Natalem Alexandrum* diss. XXXII. in saec. IV. *Corgnium* in luculenta dissertatione critica & historica *sur le Pape Libere* Parisiis edita 1736. pag. 90. seqq. Eminentiss. *Ursium* in hist. Eccles. l. XIV. n. 72. seqq. *Bollandianum Stiltinghium* in commentario de S. *Liberio*, & Ballerinium *de vi ac ratione Primatus p.* 297. *seqq.*

seqq. appellare. Verum cetera prosequamur.

Instar horum, inquit ille, *Patrum idem deinde praestiterunt integrae Ecclesiae, ipsaque Concilia. Sic* Africae, Illyrii, & Dalmatiae *Episcopi omnes se à communione* Vigilii *sejunxerunt ob damnata ab eo Tria Capitula. Non multo post Episcopi* Africae *in Concilio congregati eumdem & eadem de caussa ab Ecclesiae Corpore segregarunt*. Proh! vaferrimum adcusatorem! Quid *Vigilium* ab Episcopis *Illyrici*, *Dalmatiae*, *Africae* damnatum memorat? Numquid ab unius *Vigilii* communione trium Capitulorum defensores abstinuerunt? Quamdiu *Histri* praesertim, & *Aquilejenses* in schismate perdurarint, in tanta eruditorum Scriptorum dissensione definire vix possumus. Satis probabilis est *Balleriniorum* sententia in observationibus ad *Norisianam de quincta Synodo* dissertationem *cap. VIII. Histros* ante *Aquilejenses* sub *Honorio* circa ann. DCXXVIII. hos vero tandem *Sergio* Pontifice a. 698. schisma ejurasse. Vide jam Lector. A *Vigilio* ad *Honorium* undecim Pontificet numerantur, atque in his duo sanctitate conspicui *Gregorius* M. & *Deusdedit*; ad *Sergium* vero quinque & viginti, in quibus praeter duos illos *Gregorium* & *Deusdedit* Sanctorum honoribus *Martinus*, *Eugenius*, & *Agatho* sunt ab universa Ecclesia exornati. Quum ergo non minus cum his, quam cum *Vigilio Histri* & *Aquilejenses* Episcopi adversus quinctam Synodum acriter obstinateque pugnarint, hos quoque omnes *Romanae* Ecclesiae Pontifices schismaticis ab *Hi-*

striae

ſtriae, & *Aquilejae* Epiſcopis adſcriptos fuiſſe, *Febronio* auctore dicemus. At quaero jurene, an ſecus? Si iniuſte, quid hiſce patronis *Febronius* gloriatur? Si jure; ergo *Romani* Pontifices (ne eorum ασφαλειαν huc advocem) quod oecumenicam Synodum ſtrenue defenderent, in ſchiſma prolapſi, quodque Eccleſiae cauſſam tuerentur, ab Eccleſiae communione ſeparati haberi merito potuere? Haeccine Catholicus ſentiat? Epiſcopos illos novimus *ſchiſmaticos* a Catholicis appellatos fuiſſe, non Pontifices, qui illos improbarunt; immo de illis recte a *Noriſio* pronunciatum fuit *in diſſ. de ſynodo quincta cap.* 9. *eos ſi in illo ſchiſmate diem obierunt, utpote ab Eccleſia ſejunctos, & rebellionis ab Apoſtolica Sede reos dubio procul damnatos periiſſe*. Profecto S. *Gregorius* ſcribens tum ad *Theodelindam*, quae ab *Inſubriae* Epiſcopis decepta ad ſchiſmaticos tranſierat, tum ad *Secundinum* Anachoretam excluſos illo a regno coeleſti teſtatus eſt, niſi a ſchiſmaticis diſcederent. Do verba ad *Secundinum* ſeverioris Inſtituti Monachum lib. 7. epiſt. 52. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut dulciſſima mihi tua dilectio in hoc, quod praecipue in bonis moribus vivit, quod ſe per abſtinentiam adfligit, quod doctrinae Dei vehementius inſiſtit, hoc ſtudioſius cogitet, ne errorem Schiſmaticorum ſequens a Sancta univerſali Eccleſia diviſa poſſit inveniri. Ecquid tot labores proderunt, ſi in unitate fidei inventa non fuerit; quae ante Dei omnipotentis oculos in bonis actionibus animum praecipue cuſtodit?* At Sancti

cti inter illos aliqui fuerunt. Nempe ut idem *Norisius* animadvertit, inter eos primas tenet *Ingenuinus Sabionensis* Episcopus. Illius tamen festum peragitur *Brixinae* in *Rhaetia* II. unde dicendum est cum *Bollando* illum resipuisse, & ad meliorem frugem reversum, de quo pluribus agit ille scriptor *Tomo I. Februarii a pag.* 669. Exstat etiam nescio quae S. *Columbani* ad *Bonifacium* IV. pro schismaticis epistola. Verum illa multis nominibus falsitatis suspecta est, quemadmodum Cardinalis *Ursius* ostendit T. II. operis inscripti de *irreformabili Rom. Pontif. &c. judicio Lib. III. cap.* 25., & illam si *Columbano* adjudicari *Febronius* omnino velit, dicam cum eodem *Ursio*, eam esse humanae infirmitatis & vitae conditionem, ut nemo quantumvis eruditus & sanctus, ut recte *Canus* observat *lib. VII. de locis cap. III.* non interdum hallucinetur, non alicubi caecutiat, non quandoque labatur. Atque ii potius, ut idem Auctor ex *Vincentio Lirinensi* adjungit *Commonit. I. cap. XI.*, culpandi sunt, qui *Sancti cujusque viri memoriam, tamquam sopitos jam cineres, profana manu* (absit invidia verbo) *ventilant; & quae silentio operire oportebat, rediviva opinione diffamant.*

II. Non his contentus *Febronius* est; sed omnium, quae Ecclesiam dilacerarunt, schismatum auctores *Romanos* Pontifices facit, *Orientalis*, & *Occidentalium* cum *Lutherani*, tum *Anglicani*. Atrox calumnia! Eam quod ad Orientale *Graecorum* schisma adtinet, depulsam invenies *Antif. T. I. Introd. cap. I. &*

Antif.

Antif. vindic. T. IV. diss. X. cap. V. p. 238. *seq.* Ad *Lutheranum* quod spectat, quantamcumque *Leonis X.* fuisse culpam velimus, non ea esse potuit *Luthero*, ejusque adseclis legitima scindendae unitatis caussa. Confer doctissimos Fratres *Walemburchios de unit. Eccles. lib. III. cap.* 5. & 6. & Cl. Cardinalem *Quirinium* in egregio de *iniusta* Protestantium *secessione* commentario. De *Anglicano* demum schismate qui unum *Sanderum* legerit, intelliget, quae de illo *Febronius* indicat, nonnisi haereticorum esse figmenta, quibus suum ipsorum schisma apud vel imperitos, vel pseudo-catholicos excusare conantur.

§. III. *Vicarii & Legati Apostolici ad juvandam exequutionem Canonum destinati, sua auctoritate ad fundandam absolutam Monarchia curiae* Romanae *abutuntur*.

Antif. T. III. lib. I. cap. I. n. 6. & Antif. vindic. T. III. diss. VI. cap. VI. De *Ansegiso* vero, quem sub paragraphi finem *Febronius* indicat, vide Antifebr. eod. T. III. cap. I. n. 11.

§. IV. *Papa supplens defectus Episcoporum & Metropolitanorum eorum jura non praeripit*.

Antif. T. III. lib. I. cap. 6. a n. 15. Antif. vindic. T. IV. diss. XI. cap. 1. Quoniam autem quos Pontifices in alienis dioecesibus potestatis actus exercuerunt, *Febronius* eos ad extraordinariam quamdam supplendae Episco-

dam

porum desidiae facultatem refert, id ordinariae auctoritatis esse docet Antifr. T.II. diss. I. cap. 5. & Antif. vindic. T. II. diss. IV. cap. 4. quem vide.

§. V. *Plura Pontificibus per Canones tribuuntur, quae ex nativo jure sui Primatus non obtinent.*

Antif. T. III. lib. I. cap. 2. n. 1. Antif. vindic. diss. VII. cap. I.

ANIMADVERSIO.

Vide quam sui immemor sit *Febronius*. Hoc sibi demonstrandum suscipit, *plura Pontificibus per Canones tribui*, QVAE EX NATIVO IVRE PRIMATVS NON OBTINENT. Quam in rem ait *p.*45. „ Ipse quinimo *Innocentius* III. „ Epist. 16. Lib. I. quae est ad Capitulum S. *Ana-* „ *stasiae* sic scribit: *Ex illo singulari excellen-* „ *tiae privilegio, quod Unigenitus ille Filius* „ Jesus Christus *Apostolorum Princeps Principi* „ Petro *concessit*, SANCTORVM PATRVM „ POSTMODVM INSTITVTA MANA- „ RVNT, *ut majores caussae ad Sedem Apo-* „ *stolicam perferrentur*. Deinde Epistola 48. „ ad Patriarcham *Antiochenum*: *Quum ex illo* „ *generali privilegio, quod Beato* Petro, *&* „ *per eum* Romanae *Ecclesiae Dominus noster* „ *indulsit*, CANONICA POSTMODVM MA- „ NARINT STATVTA, *continentia, majo-*

res,

„ *res caussas esse ad Sedem Apostolicam perferendas* „ . At mi bone, *si ex illo singulari privilegio* &c. *Sanctorum postmodum instituta manarunt*, an non ex Primatu, qui unus *singulare* illud *privilegium* est, *manarunt?* Quid autem hoc est, nisi Sanctos Patres Primatus jura considerantes *Romano* Pontifici ea tribuisse, quae necessario ex Primatu consequi intelligebant? Ea igitur ipsa, quae Patres Papae tribuerunt, Pontifex *ex nativo jure sui primatus obtinet*. Audiendus in hanc rem *Zosimus* Ep. XII. apud Coust. col.974. „ Quamvis Patrum
„ traditio Apostolicae Sedi auctoritatem tantam
„ tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nul-
„ lus auderet, idque per Canones semper re-
„ gulasque servaverit, & currens adhuc suis
„ legibus ecclesiastica disciplina *Petri* nomini,
„ a quo ipsa quoque descendit, reverentiam,
„ quam debet, exsolvat: tantam enim huic
„ Apostolo canonica antiquitas per sententias
„ omnium voluit esse potentiam, *ex ipsa quo-*
„ *que* Christi *Dei promissione, ut & ligata sol-*
„ *veret, & soluta vinciret*; par potestatis da-
„ ta conditio in eos, qui sedis hereditatem,
„ ipso adnuente, meruissent: habet enim ipse
„ cum omnium Ecclesiarum, tum hujus maxi-
„ me, ubi sederat, curam, nec patitur ali-
„ quid privilegii aut aliqua titubare aura sen-
„ tentiae, cui ipsa sui nominis firma, & nul-
„ lis hebetata motibus constituit fundamenta,
„ & quae sine suo periculo temere nullus in-
„ cessat: quum ergo tantae auctoritatis *Petrus*
„ caput sit, & sequentia omnium majorum stu-

„ dia

„ dia firmaverint, ut tam humanis quam di-„ vinis legibus, & disciplinis omnibus firme-„ tur *Romana* Ecclesia, cujus locum nos rege-„ re, ipsius quoque potestatem nominis obtine-„ re non latet vos &c. „ Longiuscula igitur haec *Zosimi* sententia eo spectat, ut intelligamus, quam Patrum traditio, & canonica antiquitas Sedi Apostolicae tribuit auctoritatem, eam ex *Christi promissione* derivatam fuisse; *sequentia* Patrum *studia* eam firmasse auctoritatem, cujus *Petrus* caput erat ex eadem *Christi promissione*, humanasque leges id firmasse, quod Divinae sanxissent; quod demum *Innocentius* III. aliis verbis confirmat. Vide similia de *Gelasio* Ant. vind. T. III. Diss. VIII. Cap. V. n. 4.

§. VI. *De Romanae Ecclesiae potentiore principalitate ex sententia* Irenaei.	Vide Epistolam II. num. 5.
§. VII. *De incremento Pontificiae potestatis per falsas Decretales*.	Antif. T. II. Diss. III. cap. 5. Ant. vind. T. IV. Diss. IX. cap. 4. de *Gratiani*, & *Gregorianae* collectionis nævis, quos iterum *Febronius* p. 52. exprobrat, adi Ant. vin. T. III. Diss. VI. cap. 7.
§. VIII. *Complementum Monarchiae Papalis ex dictatu* Gregorii VII.	Ant. vindic. Diss. II. cap. 5. p. 387. seqq. Ant. T. III. Lib. I. cap. 4. n. 19.
TITVLVS III. *De caussis, quae vulgo ma-*	Antif. T. III. Lib. I. cap.

majores dicuntur.

cap.2.n.1.& cap.3.Ant. vind.T.II.Diss.V.cap.1. Quae de S. *Bernardo* indicantur p.64. confutata habes Antif.T.III. Lib.I.cap.2.n.xx.de ceteris adi Epistolam II. num. 10.

§.I. *De judice graviorum fidei controversiarum.*

§.II. *De caussis Episcoporum & horum depositione.*

Antif. T. III. Lib. I. cap.6.;Ant.vind. T.III. Diss.VIII.cap.4.S.*Leonis* effatum: *Manet ergo* Petri *privilegium* explicatur Antif. vind. T.I.Diss.I.cap.4.n.12.

§.III. *De Translatione Episcoporum.*

Antif. T.III. Lib. I. cap.V.Ant.vind. T.III. Diss.VIII.cap.3.

§.IV. *De Coadiutoribus cum futura successione.*

Antif. T. III. Lib. I. cap.4.n.20.

§.V. *De creatione novarum Sedium Episcopalium, Metropolium, primatuum &c.*

Antif. T. III. Lib. I. Cap.VII. Antif.vindic. T.III. Diss. VII. cap.2. & 3.

§. VI. *De caussis majoribus universim.*

Antif. T.III. Lib. I. cap. 2.

TITVLVS IV.

De legum in Ecclesia ferendarum potestate, & de summi Pontificis circa eas officio ac jure.

Conferantur isthaec cum *Antifebronio* T.II. Diss.II.cap.8.& 9.ac T. III. Lib.II. item cum *Antifebronio vindicato* T.III.

§. I. *Non est in potesta-*

ſtate ſummi Pontificis novum jus condere. T.III.Diſſ.VI. cap. 1.2. & 3.

§.II. *Papa ſi mandat, id facere debet ex jure conſtituto.*

§.III.Romani *Pontifices toti Eccleſiae praeſunt ut Canonum defenſores ac vindices.*

§.IV.Romanae *Sedis officium & ſedulitas in ſervando Fidei depoſito, & in cuſtodia Apoſtolicae traditionis.*

§.V. *Epiſtolae decretales quid ſint, & unde vim legis adcipiant.*

ANIMADVERSIO.

Extremo hoc §. V. *Innocentii* I. Epiſtolam *Febronius* foede corrumpit; qua de re vide noſtram epiſtolam primam *num.* 13.

TITVLVS V.

De Conciliis generalibus. Antif. T.II. Diſſ. II. Cap. XI. Antif. vindic. T.II.Diſſ.V.cap.7.

§.I. *De neceſſitate & frequentia Conciliorum generalium.*

§.II. *De generalium Conciliorum convocatione, & praeſidio in eiſdem.* Antif.T.IV. Lib.IV. cap.1. & 2. Antif.vind. T.III. Diſſ.VII. cap.7. Epiſt.II.num.7.& 8.

ANIMADVERSIO.

Ex Apostolica disciplina, inquit *Febronius* p. 120., *Actorum XV. consignata, Imperatores synodales litteras partim ad Ecclesias, partim ad* Romanum *Pontificem mittebant, quibus Papam absentem rerum gestarum Synodo commonefaciebant, ut Ecclesias sui Patriarchatus de Actis facilius informaret*. Quid magis ridiculum? Ex Apostolica disciplina Patres Concilii ad *Romanum* Pontificem litteras hujusmodi dabant, quibus praeterea rogabant, ut acta confirmaret; sed ex Apostolica illa disciplina Imperatores de Concilii Actis ad summos Pontifices perscripsisse tam est absurdum, quam siquis *Claudium* Imperatorem de Concilii *Hierosolymitani* gestis ex Apostolica ejus Synodi disciplina ad Senatum *Romanum* retulisse dixisset. Equidem scio, Imperatores saepe de Conciliorum Actis ad *Romanos* Pontifices litteras misisse; sed neque id factum *ex Apostolica disciplina*, quae ad solos Synodorum Patres spectare potuit, neque eam tantum ob caussam, ut *Ecclesias sui Patriarchatus* de actis *facilius informarent* (quod ex *Arelatensium* Patrum ad *Sylvestrum* Synodica depromptum perperam ad Imperatorum *divales* transfertur) sed etiam ut Acta Conciliorum confirmarent: quod vel una *Marciani* Imperatoris ad S. *Leonem* M. Epistola inter *Leonianas Ballerinianae* editionis cx. palam facit. *Quamobrem*, inquit Imperator, *tua veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat, quo confirmare ipsam* Chalcedonensem *Synodum manifestissime osten-*

ostendat, ut ii, qui exoptant in via diverticula, nullam habere possint suspicionem de judicio tuae Sanctitatis.

§.III. *Forma in antiquis Conciliis observata; & quatenus cum ea conveniant, quae in* Tridentino *acta sunt.*

Vide Epistolam II. n. 9. & Antif. T. I. Introduct. cap. 11. n. 6. & 7.

§. IV. *De clausula Conciliari*: Sacro adprobante Concilio. *Itē de clausula Tridentini*: salva in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate.

ANIMADVERSIONES.

1. ,, Quum anteactis temporibus omnia ,, Concilia explicata dictione sententiae singu- ,, lorum Patrum celebrarentur, atque etiam ,, omnium subscriptionibus & syngraphis ro- ,, bur haberent: tandem rudibus saeculis, post ,, ruinam Ecclesiae atque Imperii *Orientalis*, ,, praesertim post Dictatus *Gregorii* VII. Pon- ,, tifices *Romani* in illis, quas habuerunt Sy- ,, nodos, omnia ex privato motu, tamquam Mo- ,, narchae absoluti, sub hac formula edixe- ,, runt: *Nos, sacro adprobante, vel consen-* ,, *tiente Concilio, sancimus, decernimus, sta-* ,, *tuimus &c.* Primus hac formula usus vide- ,, tur *Innocentius* III. in Concilio *Lateranensi* ,, IV. an. 1215. ,, Ita *Febronius* p. 131. Mirum *Febronio* excidisse, quae Canones *Lateranen-*

fis III.Concilii sub *Alexandro* III. exhibent. Nimirum aliquot ex iis Canonibus unius Pontificis nomine eduntur, ut primus, & vicesimus, ne Concilii quidem indicato consensu. Verum neque hoc, neque illa *Innocentii* III. formula negocium ullum *Febronio* facessere debuerat, si octo prioribus *Orientalibus* Conciliis *Romanos* non interfuisse Pontifices, *Lateranensibus* vero *Alexandrum* & *Innocentium* per se se praefuisse animadvertisset. Ridiculum scilicet omnino fuisset in Conciliis, a quibus summi Pontifices aberant, ea uti formula, quae praesentem ipsum Pontificem designaret. Non igitur a Monarchiae fastu, sed a *Romani* Pontificis praesentia hujus formulae origines ducere *Febronius* debuisset.

2. Cardinalem *Alliacensem* inducit *Febronius*, ex illis duabus formulis, quas usurpatas in Conciliis videmus,. altera *Placuit sacro Concilio*, altera *Nos* (Papa scilicet) *sacri auctoritate Concilii & consensu* docentem, primam esse Theologiae conformiorem, *quia in actibus Apostolorum auctoritas definiendi adtribuitur* Concilio, *& non specialiter* Petro, *ubi dicitur*: Placuit nobis collectis in unum *Act.* XV. 25. *& beatus* Gregorius 15. *Dist.Can.* Sicut, *ubi dicit, se quatuor Concilia, sicut Sancti Evangelii quatuor libros venerari, subdit caussam*, quia universali consensu constituta sunt. *Unde videtur sequi, quod auctoritas diffiniendi, maxime in materia fidei, pertineat ad Concilium generale*. Sed non erat, cur haec *Alliacensis* verba nobis objiceret. Neque enim *Romanorum*

rum quisquam est, qui neget auctoritatem definiendi in Conciliis non ad unum Pontificem, sed ad ipsum generale Concilium, seu ad Pontificem, eique adhaerentes Episcopos pertinere. Concilium enim vere Oecumenicum, quod universam repraesentat Ecclesiam, ex Pontifice & Episcopis constat. Quemadmodum ergo concors Episcoporum decretum, licet dogmaticum absque Pontificis adprobatione editum, Oecumenici Concilii decretum haberi jure non posset, ita, inquit *Ballerinius* de *potest. Eccles.* *p.*34.; *generalis Concilii definitionem non constitueret praecedens solius Papae sententia, nisi Episcoporum quoque suffragia cum ipsius definitione jungerentur. Nam proprie dictum* Oecumenici Concilii judicium *ex concordi Episcoporum & Capitis judicio coalescit, & vim ejusdem Synodi propriam obtinet*. Igitur prima illa formula: *placuit sacro Concilio*, si ab Oecumenico Concilio usurpetur, *Romani* Pontificis, & Episcoporum concordiam indicat; altera *Nos sacri auctoritate Concilii, & consensu* eamdem plane exprimit. Quamobrem haec illa *Theologiae conformior* dici potius ab *Alliacensi* debuerat; ex prima enim nonnisi argumentando efficitur, definitionem, decretumve, quode agitur, a vere Oecumenica Synodo proficisci, quatenus Episcoporum cum Pontifice consensio sumitur, sine qua ακεφαλον, non οικουμενικον Concilium foret; altera vero concordem capitis, & Episcoporum sententiam per se se designat.

3. „ Novam, inquit *Febronius* p.133.„ „ in eumdem finem adinventam clausulam

„ deprehendunt multi in Concilii *Tridentini*
„ sessione VII. ubi dum *de Reformatione* agi-
„ tur, hoc principium pro norma statuitur,
„ scilicet: *eadem Sacrosancta Synodus eisdem*
„ *praesidentibus Legatis*, *inceptum residen-*
„ *tiae & reformationis negocium ad Dei lau-*
„ *dem & Christianae Religionis incrementum*
„ *prosequi intendens*, *ut sequitur*, *statuen-*
„ *dum censuit*: SALVA SEMPER IN
„ OMNIBVS SEDIS APOSTOLICAE
„ AVCTORITATE. Quae clausula etiam
„ repetitur in Synodi conclusione *Sess. XXV.*
„ *cap.*21., & ad omnia ac singula, quae de
„ morum Reformatione atque Ecclesiastica di-
„ sciplina in hoc Concilio statuta sunt, expres-
„ se refertur. Sunt, qui contendant (amici
„ illi sint *Romanae* Curiae vel inimici, heic
„ non disquiro) Synodum his clausulis univer-
„ sa decreta sua circa disciplinam arbitrio me-
„ ro Pontificis subjecisse, ita ut ille eis adji-
„ cere, diminuere, immutare quidvis pro lu-
„ bitu valeat. Ego aliud plane sentio de pru-
„ dentia & legalitate Patrum hujus Synodi „.
Docet ergo p. 134. *voluisse* Tridentinos *Patres tantum declarare*, *quod Pontificis potius*, *quam alterius cujusve munus esset interpretari Decreta a Concilio condita*, *& in eis dispensare*; *quia ipse primum gradum obtinet in Ecclesia universali*, *quam repraesentat Concilium*, *Decretorum auctor*. Papae! quantum *Tridentini* Patres interpreti *Febronio* debent! Videat tamen, ne aequissimam hancce interpretationem, neque a *Romanorum* Pontificum, qui ut *Triden-*

dentina decreta ubique fuſciperentur, tantopere adlaborarunt, fententia alienam, ipſemet continuo evertat. Quum enim paullo poſt moneat (p. 135.) *pleraque* Tridentina *decreta, ad diſciplinam, & reformationem ſpectantia, non adflatu Spiritus Sancti, ſed Curiae* Romanae *artibus fuiſſe condita*, an non ſuſpicandi locus erit, his ipſis *Curiae* Romanae *artibus*, quae Spiritus Sancti adflatum *Tridento* procul arcerent, factum fuiſſe, ut Concilium *ſubjicere vellet decreta ſua mero Pontificis arbitrio*? Ut ut eſt, hoc ſibi *Febronius* perſuadeat, velim, *Romanae* Curiae inimiciſſimos eſſe, *ſi qui contendant, Synodum his clauſulis univerſa decreta ſua circa diſciplinam arbitrio mero Pontificis ſubjeciſſe, ita ut ille eis adjicere, diminuere, immutare quidvis* PRO LVBITV *valeat*. Nam in generalium Synodorum canonibus nemo vere *Romanus*, ideſt Catholicus eſt, qui *Romanum* Pontificem *pro lubitu*, nempe abſque neceſſitatis, vel publicae utilitatis cauſſa diſpenſare poſſe adſentiatur. Quid ergo, inquiet *Febronius*, neceſſe erat, ut Concilium ejuſmodi formulis uteretur? Nemo enim ſummo Pontifici illis de cauſſis diſpenſandi facultatem umquam denegavit. Dicam fortaſſe, quod *Febronio* minus adridebit; Dicam tamen cum eodem *Ballerinio* pag. 44. *Hae formulae, Apoſtolicae auctoritatis praeſervativae, auctoritatem eidem proprio jure competentem, non autem ab ipſa Synodo conceſſam ſeu delegatam ſignificant: poteſtas enim* ſalva *dici nequit illa, quae cuipiam tribuitur, ſed quae eidem aliunde compe-*

tere

tere praesumitur. Meminerit autem, se *Tomo I. p.* 321. de hoc dispensandi jure scripsisse: *Verius itaque, certiusque illud ei* (Papae) *tum tacite, tum expresse* ADTRIBVTVM *est*, *&* *agnoscitur* AB ECCLESIA; ut non Primatus jus proprium, sed una Ecclesiae concessione Pontifici collatum esse docuerit. Se igitur ab hac *Ballerinii* animadversione expediat.

§. V. *De auctoritate Conciliorum generaliū supra Pontificem ex Concordatis* Germaniae.	Vide Epistolam primam num. XIV.
§. VI. *De praetensa revocatione eorum, quae* Æneas Sylvius *&* *Card.* Julianus *in* Basileensi *Synodo egerant*.	Confer Antif. vindic. T. I. Diss. I. Cap. V. n. 5. & 6. Adde primam Epistolam num. XVIII.
TITVLVS VI. *De auctoritate Episcoporum ex jure divino*. §. I. *Episcoporum jurisdictio immediate a Deo est*.	Antif. T. II. Diss. II. cap. 6. Ant. vindic. T. I. Diss. III. Cap. VI. Epist. I. n. 10. De *Abulensi*, quem helc *Febronius* p. 156. appellat, vide *Podiensis* Episcopi judicium. T. I. Antif. vind. Diss. II. cap. 2. num. 3. pag. 243. de Formula vero, qua Episcopi utuntur, dum *se Sedis Apostolicae gratia* Episcopos inscribunt, antiquitate & caussis, confer

fer

fer Antif. T.III. Lib.I. Cap. IV. n.19. p. 176. Caefen.edit.

§. II. *de praejudicio Ordinis Episcopalis ex Beneficiorum refervatione, ex Annatis, & ex praeferentia Cardinalium.*

Quod fpectat ad Beneficia, confule Antif. T. IV. lib. V. cap. 3., & Antif. vindic. T.III. diff. VII. cap.V.

de annatis vide Antif. l. c. & Antif. vindic. T. III. diff. VII. cap. VI.

De Cardinalibus confer Antif. T. IV. lib.V. cap. 2. & Antif. vindic. T. IV. diff. X. cap. 1.

§. *de exemptione Regularium*

Antif. T. IV. lib. V. cap. 1. a n. 6. Antif. vindic. T. IV. diff. X. cap. 4.

TITVLVS VII.

De libertate Ecclefiae, ejufque fervandae remediis

Antif. vindic. T. IV. diff. X. cap. 3. Adde T. III. diff. VI. cap.5. num. 13.

§. I. *In quo confiftat libertas Ecclefiae*

§. II. *De excommunicatione praefertim illa, quae dicitur latae fententiae.*

Antif. vindic. T.III. diff. VI. cap. 5. Epift.I. num. 19.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Febronius ait p. 186. ,, Quum claves datae sint Ecclesiae, illarum administratio etiam fit hujus nomine, & auctoritate ab ejusdem Ministris. Quare hi rationem de modo suae gestionis illi reddere tenentur, neque excommunicationem decernere possunt, nisi de consensu Ecclesiae, *saltem praesumpto* (en propositionem inter Quesnellianas XC. *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores* DE CONSENSV SALTEM PRAESVMPTO TOTIVS CORPORIS, eamque ex *Richeriano* illo clavium universitati Fidelium collatarum decreto). Hunc Ecclesiae consensum primitus effective intervenisse discimus exemplo Paulli incestuosum *Corinthium* anathematizantis, I. ad Corinth. cap. V. 3. & seqq. ubi: *Ego jam judicavi ut praesens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi*, CONGREGATIS VOBIS ET MEO SPIRITV, *cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. ,, O praeclarum Scripturarum interpretem *Febronium*! Congregatis quidem *Corinthiis* in miserum illum incestus reum *Paullus* animadvertere statuit, sed non veluti eorum consensum expectaturus; eos congregari jussit, ut sententiae a se latae testes, atque adeo exsequutores. Ait enim: *Ego quidem*

dem absens corpore, praesens autem spiritu IAM IVDICAVI *&c. congregatis vobis .... tradere hujusmodi Satanae*. Si jam IVDICAVERAT ipse, quas judicii partes *Corinthiis* adscribere potuit, aut quid eorum consensio lato jam judicio firmitatis contulisset?

§. III. de subtractione obedientiae — Antif. vindic. T.IV. diss. XII. cap. 5.

ANIMADVERSIO.

Hoc paragrapho *p.* 195. FEBRONIVS cum Cl. KAVFFMANS disputat, negatque quod ille adseruerat, *impium fuisse consilium de constituendo intra fines* GALLIAE *novo Patriarcha*. Qui tamen hujus *consilii* occasionem, caussasque penitius noverunt, haud temere suspicantur, ex eorum, qui de hoc cogitabant, sententia debuisse novum hunc Patriarcham & invito Romano Pontifice, & ad huius coercendam auctoritatem constitui, ut illum Apostolicae Sedis potestati obnoxium vix voluisse videantur. Id enimvero plane *impium* est; nec fortasse a vero aberravit BAYLIVS, dum in opere inscripto *Nouvelles de la Republ. des lettres mens. Jul.* 1685. *p.* 712. ajebat, *que la creation d'un tel Patriarche démanderoit* NECESSAIREMENT: *que ceux, qui gouvernent, introduisissent dans le Royaume une* NOUVELLE RELIGION. Confer CHARLASIVM *de libert. Eccl. Gallic. Lib. VIII. cap.* 4. *Leod. edit.* Auctorem Gallici Tractatus *de schismate* Ita-

Italice versi, editique *Romae* MDCCXXVI. *cap.* 9., & DAVRIGNY *Memoir. Chronol. & dogmat. T. II. ad ann.* MDCXL.

Quae tria sequuntur *Febronii* opuscula 1. *examen libelli a.* 1770. *Editi hoc titulo*: Jugement d'un Ecrivain Protestant &c. 2. Animadversiones Febronianaé in P. Antonii Schmidt Institutiones Juris Ecclesiastici 3. responsiones ad postulata D. Walch; ea nihil continent, quod in priore opere adversus epistolas Italicas R. P. *Viatoris a Coçaleo* non exstet. Quidquid ergo ad hoc ex *Antifebronio* adnotavimus, ad tria haec opuscula adcommodari velim. Ceterum in duabus prioribus epistolis plura ex his opusculis excerpsimus, & confutavimus; SCHMIDTIVS quoque FEBRONIANAS in suum opus *animadversiones* antirrheticis animadversionibus egregie dispunxit, quas legere est in utilissimo *Thesauro* dissertationum ad jus Ecclesiasticum pertinentium ejus cura nuperrime evulgato.



APPEN-

APPENDIX
SEU
S. CYPRIANI
CARTHAGINENSIS
EPISCOPI, ET MARTYRIS
LIBER
DE UNITATE ECCLESIAE
Cum Illustris. MASSILIENSIS *Episcopi, &*
novi Editoris adnotationibus.



Septem libros de Baptismo scripsi, in quibus docui, nihil sic valere ad refellendos Donatistas, *& ad eorum prorsus ora claudenda, ne adversus Ecclesiam Catholicam suum schisma defendant, quomodo litteras factumque* Cypriani

S. AVGVSTINVS
Lib. II. Retractat. cap. XVIII.

MONITVM

EDITORIS

Ut meae adnotationes ab Illustrissimi *Massiliensis* Episcopi animadversionibus secernantur, quae hujus sunt, eas littera M. distinguam, nullam vero meis notam adjungam. Hoc monere necesse erat, ne aut quidquam laudis, quae doctissimo debetur Antistiti, velle mihi adscribere viderer, aut siquid erratum a me fuerit, pertrahi in illius dedecus posset.

SANCTI CYPRIANI
EPISCOPI CARTHAGINENSIS
LIBER (1) 1
DE VNITATE ECCLESIAE (2) 2

1. QUUM moneat Dominus, & dicat: *Vos estis sal terrae* (3), quumque nos esse jubeat ad innocentiam simplices (4), & tamen cum simplicitate prudentes (5), quid aliud, Fratres dilectissimi, quam providere nos convenit & sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter & cavere, ut qui Christum Sapientiam Dei Patris (6) induimus (7), minus sapere in tuenda salute intueamur. *Matth. V 13.* 3 4 *Matth. X 6.* 5 6 7

II. Neque enim persequutio sola metuenda est, & ea, quae subruendis, ac dejiciendis Dei servis aperta impugnatione grassantur. Facilior cautio est, ubi manifesta formido est, & ad certamen animus ante praestruitur, quando se adversarius confitetur. Plus metuendus est, & cavendus inimicus, quum latenter obrepit, quum per pacis imaginem fallens, occultis adcessibus serpit, unde & nomen serpentis adcepit; (8) ea est ejus semper astutia, ea est circumveniendi hominis coeca & latebrosa fallacia. 8

III. Sic ab initio statim mundi fefellit, & verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit. Dominum

 ipsum

9 ipſum tentare conatus (9), quaſi obreperet rurſus, & falleret, latenter adceſſit. Intellectus tamen eſt, & retuſus, & ideo proſtratus,
10 quia agnitus, atque detectus (10). Unde nobis exemplum datum eſt veteris hominis viam fugere, veſtigiis Chriſti viventis inſiſtere; ne
11 denuo incauti in mortis laqueum (11) revolvamur, ſed ad pericnlum providi adcepta immortalite potiamur.

IV. Immortalitate autem potiri quomodo poſſumus, niſi ea, quibus mors expugnatur & vincitur, Chriſti mandata ſervemus, ipſo
Matth. XIX. monente, & dicente: *Si vis ad vitam venire, ſerva mandata*. Et iterum: *Si feceritis, quae*
Joh. XV. *mando vobis, jam non dico vos ſervos, ſed amicos*. Hos denique fortes dicit & ſtabiles, hos ſuper petram robuſta mole fundatos, hos contra omnes tempeſtates & turbines ſaeculi
Matth. VII. immobili & inconcuſſa firmitate ſolidatos. *Qui audit*, inquit, *verba mea & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui aedificavit domum ſuam ſupra petram. Deſcendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt*
12 *in domum illam* (12), *& non cecidit. Funda-*
13 *ta enim fuit ſupra petram* (13). Verbis igitur ejus inſiſtere, quaecumque & docuit & fecit, diſcere, & facere debemus. Ceterum credere ſe in Chriſtum quomodo dicit, qui non facit,
14 quod Chriſtus facere praecepit? (14) Nutet, neceſſe eſt, & vagetur, & ſpiritu erroris abreptus velut pulvis, quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiet ad ſalutem,
15 qui ſalutaris viae non tenet veritatem. (15)

V. Ca-

V. Cavenda sunt autem, Fratres dilectissimi, non solum, quae sunt aperta & manifesta, sed astutae fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quidve subtilius, quam ut Christi adventu detectus, ac prostratus inimicus, postquam lux gentibus venit (16), & 16
sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, ut surdi auditum gratiae spiritualis admitterent, aperirent ad Deum oculos suos coeci, infirmi aeterna sanitate revalescerent, claudi ad Ecclesiam currerent, muti claris vocibus & precibus orarent; videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas, ac Templa deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos?

VI. Haereses invenit & schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viae veteris coecitate, circumscribit, & decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines; & dum sibi adpropinquasse jam lumini, atque evasisse saeculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem, transfigurat se velut Angelum lucis, & Ministros suos subornat velut Ministros justitiae, adferentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei,

II. Cor. XI.

17 (17), perfidiam sub praetextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.

VII. Hoc eo fit, Fratres dilectissimi,
18 dum ad veritatis originem (18) non reditur,
19 nec caput quaeritur (19), nec Magistri coelestis doctrina servatur. Quae siquis consideret, & examinet, tractatu longo atque argumentis non est opus. Probatio est ad fidem facilis
20 compendio veritatis. Loquitur dominus ad *Pe-*
Matth. *trum*. *Ego tibi dico* (20), inquit, *quia tu es*
XVI. Petrus (21), *& super hanc Petram aedifica-*
21 *bo Ecclesiam meam* (22), *& portae inferorum*
22 *non vincent eam* (23). *Et tibi dabo* (24) *cla-*
23 24 *ves* (25) *Regni Coelorum* (26), *& quae liga-*
25 26 *veris* (27) *super terram, erunt ligata & in*
27 *coelis; & quaecumque solveris super terram,*
erunt soluta & in coelis. Et iterum eidem post
Joh. XXI Resurrectionem suam, dicit: *Pasce oves meas*
28 (28). Super illum unum aedificat Ecclesiam
29 suam (29), & illi pascendas mandat oves
30 suas (30). Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat
31 (31) & dicat: *Sicut misit me Pater, ego mit-*
Joh. XX. *to vos* (32): *adcipite Spiritum Sanctum* (33);
32 33 *si cujus remiseritis peccata, remittentur illi*
34 35 (34); *si cujus tenueritis, tenebuntur* (35)
36 Tamen ut unitatem manifestaret (36), unita-
37 tis ejusdem originem ab uno incipientem (37) sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique &
38 ceteri Apostoli, quod fuit *Petrus* (38); pari con-
39 sortio praediti & honoris (39) & potestatis,

sed

(40), ſed exordium ab unitate proficiſcitur (41), 40 41
& Primatus *Petro* datur (42), ut una Chri- 42
ſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur (43) 43
Et Paſtores ſunt omnes, & grex unus oſten-
ditur (44), qui ab Apoſtolis omnibus unanimi 44
conſenſione paſcatur, ut Eccleſia Chriſti una
monſtretur. Quam unam Eccleſiam etiam in
Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex per-
ſona Domini deſignat, & dicit: *Una eſt colum-* *Cant. VI.*
ba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuae,
electa genitrici ſuae.

VIII. Hanc Eccleſiae unitatem, qui non
tenet, tenere ſe fidem credit (45)? Qui Ec- 45
cleſiae renititur & reſiſtit, qui Cathedram *Pe-*
tri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit,
in Eccleſia ſe eſſe confidit (46)? Quando & 46
beatus Apoſtolus *Paullus* hoc idem doceat &
Sacramentum unitatis oſtendat dicens: *Unum* *Epheſ. IV*
Corpus (47) *&* *unus ſpiritus* (48), *una ſpes* 47 48
(49) *vocationis veſtrae, unus Dominus, una* 49
fides, unum Baptiſma, unus Deus.

IX. Quam unitatem firmiter tenere, &
vindicare debemus (50), maxime Epiſcopi, 50
qui in Eccleſia praeſidemus (51), ut Epiſco- 51
patum quoque ipſum unum (52), atque indivi- 52
ſum (53) probemus. Nemo fraternitatem men- 53
dacio fallat (54), nemo fidei veritatem perfi- 54
da praevaricatione corrumpat: Epiſcopatus u-
nus eſt (55), cujus a ſingulis (56) in ſoli- 55 56
dum (57) pars tenetur. Eccleſia quoque una 57
eſt (58), quae in multitudinem latius incre- 58
mento foecunditatis extenditur. Quomodo ſo-
lis multi radii (59), ſed lumen unum (60), 59 60

rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice
61 fundatum (61), & quum de fonte uno
rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa
videatur exundantis copiae largitate, unitas
tamen ſervatur in origine. Avelle radium
ſolis a corpore, diviſionem lucis unitas non
62 capit (62). Ab arbore frange ramum, fructus
germinare non poterit. A fonte praecide rivum,
praeciſus areſcit.

63 X. Sic & Eccleſia Domini (63) luce
perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit
64 (64). Unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur,
nec unitas corporis ſeparatur. Ramos
ſuos in univerſam terram copia ubertatis
extendit, profluentes largiter rivos latius expandit:
unum tamen caput eſt, & origo una,
& una mater foecunditatis ſucceſſibus copioſa.
Illius foetu naſcimur, illius lacte nutrimur,
ſpiritu ejus animamur. Adulterari non poteſt
65 66 ſponſa Chriſti (65), incorrupta eſt (66), &
pudica. Unam domum novit, unius cubiculi
ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Haec nos
Deo ſervat; haec Filios regno, quos generavit,
adſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus
adulterae jungitur, a promiſſis Eccleſiae ſeparatur.

XI. Nec perveniet ad Chriſti praemia,
qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt,
profanus eſt, hoſtis eſt. Habere jam non poteſt
Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet
Matrem. Si potuit evadere quiſquam, qui
extra Arcam Noe fuit, & qui extra Eccleſiam
foris fuerit, evadit. Monet dominus, & dicit:

Qui

Qui non est mecum, adversus me est; & qui mecum non colligit, spargit (67). Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit. Qui alibi praeter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Dicit Dominus: *Ego & Pater unum sumus*. Et iterum de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est: *Et hi tres unum sunt* (68).

Matth. XII. 67

Joh. X. I. Joh. V. 68

XII. Et quisquam credit, hanc unitatem de Divina firmitate venientem, Sacramentis coelestibus cohaerentem scindi in Ecclesia posse, & voluntatum collidentium divortio separari? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filii fidem, vitam non tenet & salutem. Hoc unitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiae inseparabiliter cohaerentis ostenditur, quando in Evangelio Tunica Domini Jesu-Christi non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi quis ipsam indueret (69), 69
integra vestis adcipitur & incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Loquitur, ac dicit Scriptura divina: *De tunica autem, quia de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat; dixerunt ad invicem: non scindamus illam, sed sortiemur de ea cujus sit*: Joh. XIX
Unitatem illa portabat de superiore parte venientem, quae ab adcipiente ac possidente scindi omnino non poterat (70); sed totam simul & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi (71), qui scindit & dividit Ecclesiam Christi. Contra denique quum, *Salomone* moriente, Re- 70 71

gnum ejus, & populus ſcinderetur, *Achias* Propheta *Jeroboam* Regi obvius factus in campo, in duodecim ſciſſuras veſtimentum ſuum
III. Reg. XI. diſcidit, dicens: *Sume tibi decem ſciſſuras, quia haec dicit Dominus: Ecce ſcindo Regnum de manu* Salomonis, *& dabo tibi decem ſceptra, & duo ſceptra erunt ei propter ſervum meum* David, *& propter* Jeruſalem *civitatem, quam elegi, ut ponam nomen meum illic*. Quum duodecim Tribus *Iſrael* ſcinderentur, veſtimentum ſuum Propheta *Achias* diſcidit. At vero quia Chriſti populus non poteſt ſcindi, tunica ejus per totum textilis & cohaerens diviſa a poſſidentibus non eſt. Individua, copulata, connexa oſtendit populi noſtri, qui Chriſtum induimus, concordiam cohaerentem. Sacramento veſtis & ſigno declaravit Eccleſiae unitatem. Quis ergo ſic eſt ſceleratus & perfidus, quis ſic diſcordiae furore
72 veſanus, ut aut credat ſcindi poſſe (72), aut audeat ſcindere unitatem Dei, veſtem Domini, Eccleſiam Chriſti?

XIII. Monet ipſe in Evangelio ſuo, &
Joh. X. docet dicens: *Et erit unus grex, & unus Paſtor*. Et eſſe poſſe uno in loco aliquis exiſti-
73 mat aut multos Paſtores, aut plures greges (73)? Apoſtolus item *Paullus* hanc eamdem nobis inſinuans unitatem, obſecrat & hortatur, di-
I. Cor. XI cens: *Obſecro*, inquit, *vos Fratres per nomen Domini Noſtri* Jeſu *Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu & in ea-*
Epheſ. IV *dem ſententia*. Et iterum dicit: *Suſtinentes invicem*

vicem in dilectione ; satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis .

XIV. Stare tu & vivere putas posse de Ecclesia recedentem , sedes sibi alias & diversa domicilia condentem , quum dictum sit ad *Rahab* , in qua praeformabatur Ecclesia (74). 74
Patrem tuum & matrem tuam , & fratres tuos Josue II.
& totam domum Patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam , & omnis , qui exierit ostium domus tuae foras , reus sibi erit . Iterum Sacramentum Paschae nihil aliud in Exodi lege continet , quam ut Agnus , qui in figura occiditur , in domo una edatur . Loquitur Deus dicens : *In domo una comedetur , non* Exod.XII.
ejicietis de domo carnem foras . Caro Christi & Sanctum Domini eiici foras non potest (75) , 75
nec alia ulla credentibus praeter unam Ecclesiam domus est . Hanc domum , hoc unanimitatis hospitium designat & denunciat Spiritus Sanctus in Psalmis dicens : *Deus qui inhabitare* Ps. LVIII
facit unanimes in domo (76) . In domo Dei , 76
in Ecclesia Christi unanimes habitant , concordes & simplices perseverant .

XV. Idcirco & in columba venit Spiritus Sanctus (77) , simplex animal (78) & lae- 77 78
tum , non felle amarum (79) , non morsibus 79
saevum , non unguium laceratione violentum
(80) ; hospitia humana diligere , unius domus 80
consortium nosse ; quum generant , simul filios edere ; quum commeant , volatibus invicem cohaerere ; communi conversatione vitam suam degere ; oris osculo concordiam pacis agnoscere ; legem circa omnia unanimitatis implere . Haec

Haec est in Ecclesia noscenda simplicitas, haec caritas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo & lenitas agnis & ovibus aequetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum lethale serpentum, & cruenta saevitia bestiarum? Gratulandum est, quum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi saeva sua & venenata contagione praedentur. Cohaerere & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum foecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.

XVI. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus; nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleae tempestate jactantur, invalidae arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur & percutit *Johannes* Apo-
I. Joh. II. stolus dicens: *Ex nobis exierunt* (81), *sed*
81 82 *non fuerunt ex nobis* (82). *Si enim fuissent*
83 *ex nobis, mansissent utique nobiscum* (83).

XVII. Hinc haereses & factae sunt frequenter & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri vero haec dominus permittit & patitur, manente propriae libertatis arbitrio; ut dum corda nostra & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat. Per Apostolum praemonet Spiritus Sanctus & dicit:
I. Cor. XI *Oportet haereses esse, ut probati manifesti fiant*
in

in vobis. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur. Sic & ante judicii diem heic quoque jam justorum, atque injustorum animae dividuntur, & a frumento paleae separantur. Hi sunt, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt (84), qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen adsumunt; quos designat in Psalmis Spiritus Sanctus, sedentes in pestilentiae Cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes & corrumpendae veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes: quorum sermo ut cancer serpit, quorum tractatus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra hujusmodi clamat Dominus, ab his refraenat, & revocat errantem plebem suam, dicens: *Nolite audire sermones Pseudo-prophetarum; quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis, qui abjiciunt verbum Dei: Pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis. Omnis qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala. Non loquutus sum ad eos, & ipsi prophetaverunt. Si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea, & si docuissent populum meum, convertissem eos a malis cogitationibus eorum.* Hos eosdem denuo Dominus designat & denotat dicens: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare.*

84

Psal. I.

II. *Timoth.* II.

Hierem. XXIII.

Hierem. II. 13.

XVIII. Quando aliud Baptisma praeter unum

unum eſſe non poſſit, baptiſare ſe poſſe opinan-
85 tur (85). Vitae fonte deſerto vitalis & ſaluta-
ris aquae gratiam pollicentur. Non abluuntur
86 illic homines, ſed potius ſordidantur (86); nec
purgantur delicta; ſed immo cumulantur. Non
Deo nativitas illa, ſed Diabolo filios generat
87 (87). Per mendacium nati veritatis promiſſa
non capiunt. De perfidia procreati fidei gratiam
perdunt. Ad pacis praemium venire non poſ-
ſunt, qui pacem Domini diſcordiae furore ru-
perunt.

XIX. Nec ſe quidam vana interpretatio-
Matth. ne decipiant, quod dixerit Dominus: *Ubicumque*
XXVIII. *fuerint duo aut tres collecti in nomine meo,*
20. *ego cum eis ſum* (88). Corruptores Evangelii,
88 atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſupe-
riora praetereunt, partis memores, & partem
ſubdole comprimentes. Ut ipſi ab Eccleſia ſciſſi
ſunt; ita capituli unius ſententiam ſcindunt.
Dominus enim cum diſcipulis ſuis unanimita-
Matth. tem ſuaderet & pacem: *Dico*, inquit, *vobis*,
XVIII. *quoniam ſi duobus ex vobis convenerit in terra*
19. & *de omni re quamcumque petieritis, continget*
20. *vobis a Patre meo, qui in Coelis eſt. Ubicumque*
enim fuerint duo aut tres collecti in nomine
meo, ego cum eis ſum, oſtendens non multitu-
dini, ſed unitati deprecantium plurimum tribui.
Si duobus, inquit, *ex vobis convenerit in ter-*
ra, unanimitatem prius poſuit, concordiam
pacis ante praemiſit, ut conveniat nobis fide-
liter & firmiter, docuit. Quomodo autem poteſt
ei cum aliquo convenire, cui cum Corpore ipſius
Eccleſiae & cum univerſa fraternitate non con-
ve-

venit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo & ab ejus Evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt (89)? Et quum haereses & schismata postmodum nata sunt, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos, qui sunt in Ecclesia, loquitur, ut si ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandavit & monuit, duo aut tres licet, collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei Majestate quod postulant. *Ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego*, inquit, *cum eis sum*, cum simplicibus scilicet atque pacatis, cum Deum timentibus & Dei praecepta servantibus. Cum his duobus vel tribus licet esse se dixit, quomodo & cum tribus pueris in camino ignis fuit, & quia in Deum simplices atque inter se unanimes permanebant, flammis ambientibus medios spiritu roris animavit. Quomodo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia unanimes erant, ipse adfuit, ipse resolutis carceris claustris, ut verbum, quod fideliter praedicabant, multitudini traderent, ad forum rursus imposuit.

89

Dan. III. 50.

Act. V.

XX. Quando ergo in praeceptis suis ponit & dicit: *Ubi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum*, non homines ab Ecclesia dividit, qui instituit & fecit Ecclesiam, sed exprobrans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit, magis esse se cum duobus aut tribus unanimi-

nimiter orantibus, quam diffidentibus plurimis, plusque impetrari posse paucorum concordi prece, quam discordiosa oratione multorum. Ideo & cum orandi legem daret, addidit dicens: *Et*
Marc. XI 25. *quum steteritis ad orationem, remittite siquid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in Coelis est remittat vobis peccata*. Et ad
Matth. V 23. 24. & 25. sacrificium cum dissensione venientem revocat ab Altari, & jubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre, quia nec ad *Cain* munera respexit Deus.
Genes. IV Neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum, quae sacrificia celebrare se credunt aemuli Sacerdotum? An secum esse Christum, quum collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur?

XXI. Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa discor-
90 diae (90) nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Ad Regnum pervenire non poterit, qui eam, quae regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, concordes atque unanimes esse praecepit, dilectionis & caritatis foedera incorrupta atque inviolata servari mandavit. Exhibere se non potest Martyrem, qui fraternam non tenuit caritatem. Docet hoc & contestatur *Paullus* Apo-
I. Cor. XIII. 2. 3 stolus dicens: *Et si habuero fidem ita, ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia*

omnia mea , & si tradidero corpus meum , ut ardeam (91) *, caritatem autem non habeam, nihil proficio . Caritas magnanima est , caritas benigna est , caritas non aemulatur , non agit perperam , non inflatur , non irritatur , non cogitat malum , omnia diligit , omnia credit , omnia sperat , omnia sustinet . Caritas numquam excidit .* Numquam, inquit , excidit caritas. Haec enim semper in Regno erit , haec in aeternum fraternitatis sibi cohaerentis unitate durabit. Ad Regnum Coelorum non potest pervenire discordia (92) . Ad praemia Christi, qui dixit : *Hoc est mandatum meum , ut diligatis invicem , quemadmodum dilexi vos* , pertinere non poterit, qui dilectionem Christi perfida dissensione violavit . Qui caritatem non habet , Deum non habet . *Johannis* Beati Apostoli vox est : *Deus,* inquit , *dilectio est , & qui manet in dilectione, in Deo manet , & Deus in illo manet .* Cum Deo manere non possunt , qui esse in Ecclesia unanimes noluerunt . Ardeant licet flammis, & ignibus traditi , vel objecti bestiis animas suas ponant , non erit illa fidei corona , sed poena perfidiae (93) , nec religiosae virtutis exitus gloriosus , sed desperationis interitus . Occidi talis potest , coronari non potest (94).

91

92 *Joh. XV.* 12.

1. *Joh. IV*

93

94

XXII. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo & Christum diabolus saepe mentitur , ipso Domino praemonente & dicente : *Multi venient in nomine meo dicentes , ego sum Christus, & multos fallent .* Sicut ille Christus non est , quamvis fallat in nomine , ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Evangelii ejus & fidei veritate . XXIII. Ne-

Marc. XIII.6.

XXIII. Nam & prophetare, & daemonia
excludere, & virtutes magnas in terris facere
sublimis utique & admirabilis res est, non ta-
men Regnum coeleste consequitur quisquis in
his omnibus invenitur, nisi recti & justi itine-
ris observatione gradiatur. Denuntiat Dominus
Matth. & dicit: *Multi mihi dicent in illo die: Domi-*
VII. 22. *ne, Domine, nonne in tuo nomine prophetavi-*
23. *mus, & in tuo nomine Daemonia exclusimus,*
95 *& in nomine tuo virtutes magnas fecimus* (95)?
Et tunc dicam illis: Numquam vos cognovi,
96 *recedite a me, qui operamini iniquitatem* (96).
Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum
Judicem. Praeceptis ejus & monitis obtempe-
randum est, ut adcipiant merita nostra merce-
dem. Dominus in Evangelio suo quum spei &
fidei nostrae viam compendio breviante dirige-
ret: *Dominus Deus tuus*, inquit, *Deus unus*
Marc. *est*. Et: *Diliges Dominum Deum tuum de toto*
XII. 29. *corde tuo, & de tota anima tua, & de tota*
30. 31. *virtute tua. Hoc est primum mandatum, &*
secundum simile huic: Diliges proximum tuum
tamquam te. In his duobus praeceptis tota lex
pendet, & prophetae. Unitatem simul & dile-
ctionem magisterio suo docuit; Prophetas omnes,
& legem praeceptis duobus inclusit. Quam
vero unitatem servat, quam dilectionem cu-
stodit aut cogitat, qui discordiae furore ve-
sanus Ecclesiam scindit, fidem destruit, pa-
cem turbat, caritatem dissipat, Sacramentum
profanat?

97 XXIV. Malum hoc, Fidelissimi (97) Fra-
tres, jam pridem coeperat, sed nunc crevit
ejus-

ejusdem mali infesta clades, & exurgere & pullulare plus coepit haereticae pravitatis & schismatum venenata pernicies: quia & sic in occasu mundi fieri oportebat, praenuntiante per Apostolum nobis & praemonente Spiritu Sancto: *In novissimis*, inquit, *diebus aderunt tempora molesta, & erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, Parentibus inobedientes, ingrati, impii, sine adfectu, sine foedere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis quam Deum diligentes, habentes deformationem Religionis, virtutem autem ejus abnegantes. Ex iis sunt, qui repunt in domos, & praedantur mulierculas* (98) *oneratas peccatis* (99), *quae ducuntur variis desideriis, semper discentes & numquam ad scientiam veritatis pervenientes. Et quomodo* Jannes *&* Mambres *restiterunt* Moysi, *sic & hi resistunt veritati, sed non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit*. Adimplentur quaecumque praedicta sunt, & adpropinquante jam saeculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis adversario saeviente error fallit, extollit stupor, livor incendit, cupiditas excoecat, depravat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira praecipitat.

II. Timoth. III.

98

99

XXV. Non tamen nos moveat, aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, sed potius fidem nostram praenuntiante rei veritate corroboret, Ut quidam tales esse coeperunt, quia haec ante praedicta sunt, instruente Do-

Marc. XIII. 23. mino, & dicente: *Vos autem cavete, ecce praedixi vobis omnia*. Vitate, quaeso vos, Fratres, ejusmodi homines, & a latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete, sicut scriptum est; *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam*. Et iterum: *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimae*. Docet Dominus & admonet a talibus recedendum. *Coeci sunt*, inquit, *Duces coecorum*. *Coecus autem coecum ducens simul in foveam cadunt*. Aversandus est talis, atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Perversus est hujusmodi & peccat, & a semetipso damnatus (100).

Eccli. XXVIII. 28. 1. Cor. XV. 33. Matth. XV. 14. Tit. III. 11 100

XXVI. An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus Sacerdotes Christi facit, qui se a Cleri ejus & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat. Hostis Altaris, adversus Sacrificium Christi rebellis (101), pro fide perfidus, pro Religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud Altare, precem alteram illicitis vocibus facere (102), Dominicae hostiae veritatem per falsa sacrificia (103) profanare, nec scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam Divina animadversione punitur.

101 102 103

104 XXVII. Sic *Core* (104) & *Dathan* & *Abiron*, qui sibi contra *Moysen* & *Aaron* Sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, poenas pro suis statim conatibus pepende-

Nũ. XVI 32. 33.

derunt. Terra compagibus ruptis in profundum ſinum patuit, ſtantes atque viventes recedentis ſoli hiatus abſorbuit. Nec tantum eos, qui auctores fuerant, Dei indignantis ira percuſſit, ſed & ceteros ducentos quinquaginta participes ejuſdem furoris & comites, qui coagulati cum iiſdem ſimul ad audaciam fuerant, exiens a Domino ignis properata ultione conſumpſit, admonens ſcilicet & oſtendens contra Deum fieri, quidquid improbi fuerint ad deſtruendam ordinationem Dei humana voluntate conati.

XXVIII. Sic & *Ozias* Rex, quum thuribulum ferens & contra legem Dei ſacrificium ſibi violenter adſumens, reſiſtente ſibi *Azaria* Sacerdote, obtemperare nollet & cedere, divina indignatione confuſus & leprae varietate in fronte maculatus eſt, ea parte corporis notatus offenſo Domino, ubi ſignantur, qui Dominum promerentur. Et Filii *Aaron* qui impoſuerunt Altari ignem alienum, quem non praeceperat Dominus, in conſpectu ſtatim Domini vindicantis exſtincti ſunt.

II. Paralip. XX. IV. Reg. V.

XXIX. Quos imitantur ſcilicet, atque ſectantur, qui Dei traditione contempta alienas doctrinas adpetunt, & magiſteria humanae inſtitutionis inducunt; quos increpat Dominus, & objurgat in Evangelio ſuo dicens: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis.* Pejus hoc crimen eſt, quam quod amiſiſſe lapſi videntur; qui tamen in poenitentia criminis conſtituti Deum plenis ſatisfactionibus deprecantur. Heic Eccleſia quaeritur & rogatur; illic Eccleſia repugnatur. Heic poteſt neceſſitas fuiſ-

Marc. VII. 9.

se; illic voluntas tenetur in scelere. Heic qui lapsus est, sibi tantum nocuit; illic qui haeresim vel schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Heic animae unius est damnum; illic periculum plurimorum. Certe peccasse se hic & intelligit & lamentatur, & plangit; ille tumens in pectore suo; & in ipsis sibi delictis placens, a Matre filios segregat; oves a Pastore sollicitat; Dei Sacramenta disturbat; & quum lapsus semel peccaverit, ille quotidie peccat. Postremo lapsus Martyrium postmodum consequutus potest Regni promissa percipere; ille si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiae non potest praemia pervenire.

XXX. Nec quisquam miretur, dilectissimi
105 mi Fratres, etiam de Confessoribus (105) quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda quam gravia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes & pericula, & incursus atque impetus saeculares adhuc in saeculo positum perpetua securitate defendit. Ceterum numquam in Confessoribus fraudes & stupra & adulteria postmodum videremus, quae nunc in quibusdam videntes ingemiscimus & dolemus. Quisquis ille Confessor est, *Salomone* major aut melior aut Deo carior non est: qui tamen, quamdiu in viis Domini ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat consequutus, obtinuit; postquam dereliquit Domini viam, perdidit & gra-
Apoc.III. 11. tiam Domini. Et ideo scriptum est: *Tene quod habes, ne alius adcipiat coronam tuam*. Quod utique Dominus non minaretur auferri posse coro-

ronam justitiae, nisi quia recedente justitia, recedat necesse est & corona. Confessio exordium gloriae est, non meritum jam coronae: nec perficit, sed initiat dignitatem. Quumque scriptum sit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, quidquid ante finem fuerit, gradus est, quo ad fastigium salutis adscenditur, non terminus, quo jam culminis summa teneatur. Matth. X. 22.

XXXI. Confessor est; sed post confessionem periculum majus est, quia plus adversarius provocatus est. Confessor est; hoc magis stare debet cum Domini Evangelio per Evangelium gloriam consequutus a Domino. Ait enim Dominus: *Cui multum datur, multum quaeritur ab eo; & cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur servitutis*. Nemo per Confessoris exemplum pereat, nemo injustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de Confessoris moribus discat. Confessor est; sit humilis & quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus; ut qui Christi Confessor dicitur, Christum, quem confitetur, imitetur. Nam quum dicat ille: *Qui se extollit, humiliabitur, & qui humiliat se exaltabitur*, & ipse a Patre exaltatus sit, quia se in terris sermo & virtus & sapientia Dei Patris humiliavit, quomodo potest extollentiam diligere, qui & nobis humilitatem sua lege mandavit, & ipse a Patre amplissimum nomen praemio humilitatis adcepit? Confessor est Christi; sed si non postea blasphemetur per ipsum majestas & dignitas Christi. Lingua Christum confessa non sit maledica; non sit turbulenta; non conviciis & litibus perstrepens au-

Luc. XVIII. 48.

Luc. XVIII. 24.

diatur; non contra Fratres, & Dei Sacerdotes post verba laudis serpentis venena jaculetur.

XXXII. Ceterum si culpabilis & detestabilis postmodum fuerit, si confessionem suam mala conversatione prodegerit, si vitam suam turpi foeditate maculaverit, si Ecclesiam denique, ubi Confessor factus est, derelinquens & unitatis concordiam scindens fidem primam perfidia posteriore mutaverit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi sit electus ad gloriae praemium, quando ex hoc ipso magis creverint merita poenarum.

XXXIII. Nam & *Judam* inter Apostolos Dominus elegit, & tamen Dominum *Judas* postmodum prodidit. Non tamen idcirco Apostolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor *Judas* ab eorum societate defecit. Sic & heic non statim Confessorum sanctitas & dignitas comminuta est, quia quorumdam fides fracta est. Beatus *Paullus* Apostolus in Epistola sua loquitur: *Quid enim si exciderunt a fide quidam illorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Stat Confessorum pars major & melior in fidei suae robore, & in legis ac disciplinae dominicae veritate, nec ab Ecclesiae pace discedunt, qui se in Ecclesia gratiam consequutos de Dei dignatione meminerunt, atque hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suae laudem, quod ab eorum perfidia segregati, qui juncti confessionis consortio fuerunt, a contagio criminis recesserunt, vero illuminati Evangelii lumine, pura & candida Domini luce radia-

Rom. III. 3. 4.

diati, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quam fuerunt in Diaboli congressione victores.

XXXIV. Opto equidem, dilectissimi Fratres, & consulo pariter, & suadeo, ut si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi Corpus unum gremio suo gaudens Mater includat.

XXXV. Si tamen quosdam schismatum duces, & dissensionis auctores in coeca & obstinata dementia permanentes non potuerit ad salutis viam consilium salubre revocare, ceteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiae calliditate decepti, a fallaciae vos laqueis solvite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum viae coelestis agnoscite. Contestantis Apostoli vox est: *Praecipimus vobis*, inquit, *in nomine Domini nostri* Jesu Christi, *ut recedatis ab omnibus Fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem, quam adceperunt a nobis*. Et iterum dicit: *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios contumaciae. Nolite ergo esse participes eorum*. Recedendum est a delinquentibus, vel immo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus jungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur.

II. Thes. III. 6.

Ephes. V. 6.7.

XXXVI. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, & Fides una, & Plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata. Scindi unitas non po-

test, nec corpus unum dissidio compaginis separari; divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a Matrice discesserit, seorsum vivere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit. Monet nos Spiritus Sanctus, & dicit: *quis est homo qui vult vitam, & amat videre dies optimos? Contine linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur insidiose. Declina a malo, & fac bonum, quaere pacem & sequere eam.* Pacem quaerere debet, & sequi filius pacis; a dissensionis malo continere linguam suam debet, qui novit & diligit vinculum caritatis.

Psal. XXXIII. 12. 13. 14

XXXVII. Inter sua divina mandata & magisteria salutaria Passioni jam proximus Dominus addidit dicens: *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.* Hanc nobis hereditatem dedit, dona omnia suae pollicitationis & praemia in pacis conservatione promisit. Si coheredes Christi sumus, in Christi pace maneamus. Si Filii Dei sumus, pacifici esse debemus.

Joh. XIV 27.

XXXVIII. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam ipsi Filii Dei vocabuntur.* Pacificos esse oportet Dei Filios, corde mites, sermone simplices, adfectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohaerentes. Haec unanimitas sub Apostolis olim fuit. Sic novus credentium populus Domini mandata custodiens caritatem suam tenuit. Probat Scriptura divina, quae dicit: *Turba autem eorum, qui crediderant, anima & mente una agebant.* Et iterum: *Et erant perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus & Maria, quae fuerat Mater Jesu, & Fra-*

Matth. V 6.

Act. IV. 32.

Act. I. 14

Fratribus ejus. Et ideo quia efficacibus precibus orabant, cum fiducia poterant quodcumque de Domini miſericordia poſtulabant. In nobis vero ſic unanimitas diminuta eſt, ut largitas operationis infracta eſt.

XXXIX. Domos tunc & fundos venumdabant, & theſauros ſibi in coelo reponentes, diſtribuenda in uſus indigentium pretia Apoſtolis offerebant. At nunc de Patrimonio nec decimas damus; & quum vendere jubeat Dominus, emimus potius, & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, ſic credentium robur elanguit. Et idcirco Dominus tempora noſtra
reſpiciens, in Evangelio ſuo dicit: *Filius homi-* Luc.
nis quum venerit, putas inveniet fidem in ter- XVIII.
ra (106)? Videmus fieri, quod ille praedixit. 8. 106
In Dei timore, in lege juſtitiae, in dilectione,
in opere fides nulla eſt (107). Nemo futurorum 107
metum cogitat, diem Domini & iram Dei & incredulis ventura ſupplicia & ſtatuta perfidis aeterna tormenta conſiderat. Quod metueret con-
ſcientia noſtra, ſi crederet (108). Quia non 108
credit omnino (109), nec metuit. Si autem cre- 109
deret, & caveret. Si caveret, evaderet.

XL. Excitemus nos quantum poſſumus, dilectiſſimi Fratres, & ſomno inertiae veteris abrupto, ad obſervanda & gerenda Domini praecepta vigilemus. Simus tales quales eſſe
nos ipſe praecepit, dicens: *Sint lumbi veſtri* Luc.
adcincti, & lucernae ardentes in manibus ve- XII. 35.
ſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Do- 36. 37.
minum ſuum, quando veniat a nuptiis, ut quum venerit & pulſaverit, aperiant ei. Beati ſervi

quos

quos adveniens Dominus invenerit vigilantes. Adcinctos nos esse oportet, ne quum expeditionis dies venerit, impeditos nos & implicitos adprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen, & fulgeat, ut ipsum nos ad lucem claritatis aeternae de hac saeculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper & cauti adventum Domini repentinum, ut quando ille pulsaverit, evigilet fides nostra, vigilantiae praemium de Domino receptura. Si haec mandata serventur, si haec monita & praecepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non possumus, servi vigiles Christo dominante regnabimus.



IN

IN EXSCRIPTVM

SANCTI CYPRIANI

LIBRVM

ADNOTATIONES.

(1) S. *Cyprianus* librum hunc a. CCLI. sub Papae *Cornelii* Pontificatu, imperantibus *Gallo*, *Volusiano*, & *Hostiliano* composuit. Hoc de libro Sanctus Episcopus loquitur in epistola (II.) quam a. CCLII. ad *Confessores Romam* misit, illis de reditu ex schismate gratulaturus. *Sed &*, inquit, *Catholicae Ecclesiae unitatem, quantum potuit, expressit nostra mediocritas. Quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido, quando eum jam sic legitis, ut & probetis & ametis*. M. 1

(2) Hoc titulo *Baluzius* hocce opusculum praenotavit. Qua in re S. *Augustinum* sequutus est, qui (*Lib. II. contr.* Crescon) illud his verbis appellat: *Cui* Cyprianus *ipse quale testimonium perbibeat, audi ex Epistola, quam conscripsit*. *Facundus* quoque (*Lib. I. p. 16.*) Epistolae aut Libri *de unitate* nomine illud indicat: *Epistola, seu liber de unitate*; sic enim ibi legendum, non *de Trinitate*, ut editi Libri exhibent, quum nullam *Cyprianus* epistolam, nullum Librum *de Trinitate* conscripserit. Aliis (ut *Lomberto* in *Gallica Cyprianicorum* operum interpretatione *Rothomagi* a. MDCCXVI. vulgata, & D. *Remigio Ceilliero* in generali sacro- 2

crorum, atque Eccleſiaſticorum Scriptorum hiſtoria) hunc librum inſcribere placuit *de unitate Eccleſiae Catholicae*. Atque hunc illi titulum cum S. *Fulgentii*, tum ipſiuſmet *Cypriani* teſtimonio confirmare poſſunt. En S. *Fulgentii* verba (*Lib.I. de remiſſ. peccat. cap.21.*): *hujus arcae myſterium beatiſſimus Martyr* Cyprianus *ſcribens in Libro de ſimplicitate Praelatorum, vel potius, ſecundum vetuſta exemplaria, de unitate Eccleſiae Catholicae, exponit*. *Cyprianum* vero nuper audivimus de ſuo libro ita ſcribentem, ut Tractatum *de unitate Catholicae Eccleſiae* fuiſſe indicaret: *Sed & Catholicae Eccleſiae unitatem, quantum potuit, expreſſit noſtra mediocritas. Quem libellum &c.* Ex verbis porro, quae recitavimus, S. *Fulgentii* videtur hic liber olim ſub titulo *de ſimplicitate Praelatorum* innotuiſſe; ea forte de cauſſa, quod initio operis aliqua de ſimplicitate traduntur: vel etiam (uti *Rigaltius* & *Lombertus* adnotarunt) quod *ſimplicitas unitatem deſignat, & multiplicitatem excludit*. M.

3 (3) *Sal*, inquit S. *Hieronymus* (comm. in h. l.) *appellantur Apoſtoli, quia per ipſos univerſum hominum conditur genus*; hoc ſcilicet ſenſu, quod quemadmodum ſal cibos condiens eos palato gratos efficit, ita Apoſtoli, dum homines ad ſanctimoniam traducunt, Deo illos reddunt percaros. M.

4 (4) *Simplicitas*, inquit S. *Thomas* (2.2. q.109.art.2. ad 4.) *dicitur per oppoſitum duplicitatis, qua ſcilicet aliquis aliud habet in corde, & aliud oſtendit exterius.... Facit autem*

tem

tem intentionem rectam, non quidem directe, (quia hoc pertinet ad omnem virtutem) ſed excludendo duplicitatem, qua homo unum praetendit, & aliud intendit. M.

(5) Hac de re audiendus S. *Auguſtinus* in libro *de moribus Eccleſiae* Catholicae (*Cap. XXIV. n.* 45.) *Nec de prudentia diutius diſſerendum eſt, ad quam dignoſcentia pertinet adpetendorum & vitandorum ... Hujus autem ſunt excubiae, atque diligentiſſima vigilantia, ne ſubrepente paullatim mala ſuaſione fallamur. Unde ſaepe Dominus, Vigilate, clamat* (Matth. XXIV.42.) *& ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant. Itemque dicitur* (Joh. VIII.6.): *neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Eſt tamen falſa prudentia, quam S. *Paullus* (II. Cor. V.6.) *prudentiam carnis* appellat, mortem animabus inferens, quum vera prudentia, quam idem Apoſtolus *prudentiam ſpiritus vocat* (Rom. VIII. 6.), vitam, pacemque impertiatur. *Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax*. Falſa iſthaec prudentia nonniſi creata bona amat & exquirit. Hinc quum ejuſmodi bona *carnis bona* generatim vocentur, ut a bonis, quorum deſiderium ſpiritus gratiae ingerit, diſtinguantur, huic vitio *prudentiae carnis* nomen inditum fuit. Qui autem illi ſe dedunt, peccato obnoxii ſunt. *Et ideo*, inquit S. *Thomas* (2.2. q.55. a. 1. in corp.) *prudentia carnis proprie dicitur, ſecundum quod aliquis bona carnis habet ut ultimum finem ſuae vitae. Manifeſtum eſt autem, quod hoc eſt peccatum*.

Con-

Contra vera prudentia unum summum bonum sibi finem praestituit; ceteris illud quibuscumque bonis anteponit; novit haec, quod nos Deo in perpetuum conjunget, utque illud optemus, compellit. Isthaec ex S. *Augustino* deprompta sunt, qui (*Lib. VI. de Musica cap.* XIII. *n.* 38.) ait: *haec igitur adfectio animae, vel motus, quo intelligit aeterna, & his inferiora esse temporalia, etiam in seipsa, & haec adpetenda potius, quae superiora sunt, quam illa, quae inferiora sunt, novit, nonne tibi prudentia videtur?* M.

6 (6) Ex *Paullo* isthaec desumpta, qui ait (1. Cor. 1. 22. seqq.): *Nos autem praedicamus Christum Crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*. Discimus autem ex S. *Augustino* (*Lib. VI. de Trinit. cap.* 1.) *Arrianis* vigentibus fuisse Catholicos Doctores, qui hoc *Paulli* testimonio ad Filii divini aeternitatem comprobandam uterentur. *Sed inter disputationes, quas habebant nostri adversum eos, qui dicebant: erat tempus, quando non erat Filius, hanc etiam nonnulli ratiocinationem inferebant: Si Dei Filius virtus & sapientia Dei est, nec umquam Deus sine virtute & sapientia fuit, coaeternus est Dei Patri Filius: dicit autem Apostolus Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, & Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam dementis est dicere: non igitur erat tempus, quando non erat Filius*. M.

7 (7) Spectavit hoc loco *Cyprianus* illud *Paul-*

Paulli (ad Rom. XIII. 14.) *Sed induimini Dominum nostrum* Jesum *Christum*: quorum similia ea sunt ejusdem *Paulli* (Gal. III. 27.) *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*. M.

(8) S. *Augustinus Genesis* initium explanans de serpente ait: *Serpens autem significat Diabolum, qui sane non erat simplex. Quod enim dicitur sapientior omnibus bestiis, figurate insinuatur ejus versutia*. M. 8

(9) Ignorabat Daemon, Christum esse Dei Filium; neque eum si novisset, tentare ausus fuisset. *Principem hujus mundi* (ajebat in Epistola ad *Ephesios* S. *Ignatius*) *latuit* Mariae *Virginitas & partus ipsius, similiter & mors Domini*, non quod *Mariae* esse filium ignorarit; sed quod quem *Mariae* esse noverat, Dei filium minime habuerit. Ipsa, qua eum tentavit, ratio satis ostendit, diabolum magnis hac de re suspicionibus laborasse, ac de veritate detegenda fuisse sollicitum. Duo igitur ille Dominum tentans spectavit; primum ut essetne Christus Dei filius, perspiceret; deinde ut de eo, si nihil supra hominem foret, victoriam referret. Quod ad illud adtinet, ita *Hieronymus* (Comm. in Matth. cap. IV.) *In omnibus tentationibus hoc agit Diabolus, ut intelligat, si Filius Dei sit: sed Dominus sic responsionem temperat, ut eum relinquat ambiguum*. M. 9

(10) Unigenitus Dei filius peccato obnoxius non erat; nec dolis igitur irretiri; nec vinci poterat. M. 10

(11) Duplex mortis genus est, cui pecca- 11

cator subjicitur, animae alterum, alterum corporis. *Nos certe*, inquit *Augustinus* (L. XIV. de Trinit. Cap. III. n. 5.), *quod nemo Christianus ambigit, & anima & corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter poenam peccati, ac per hoc, & corpore propter peccatum*. Animae morti obnoxius est; moritur enim anima, quam Deus deserit; corporis vero morti subjicitur, ejus enim anima in peccati poenam separari aliquando debet a corpore, in quo demum sita est mors naturalis, nec corpori iterum conjungetur, nisi ut cum ipso torqueatur. *Sicut enim* (ibid.) *animam Deo deserente, sic corpus anima deserente moritur; unde fit illa insipiens, hoc exanime*. De morte peccati justificationis gratia triumphamus; de morte porro naturali extremo mundi tempore triumphabimus, quum Deus nostrae justificationis opus inexplicabili modo perficiet, nostra corpora in vitam revocans. *Ejus autem corporis* (ibid.) *resurrectio differtur in finem, quum & ipsa justificatio nostra perficietur. Tunc enim similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. Peccator quoque resurget; verum Deo non conjungetur, ejusque corpus doloribus circumseptum vitae commodis nullatenus perfruetur. Quare vel in ipsa resurrectione miser secundae morti, eique prima multo terribiliori se sentiet obnoxium. *Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda*: (Apoc. XXI. 8.) M.

12 (12) *Pluvia ista*, inquit S. *Hieronymus* (Comm. in Matth. VII.) *quae domum subverte-*

re

re nititur, diabolus est; flumina Antichristi, qui contra Christum sapiunt; venti spiritalia nequitiae in coelestibus, nempe daemones, qui cum eorum capite ad perdendos homines conspirant; ut indicat *Paullus* in epistola ad *Ephesios*, *qui* (quod idem *Hieronymus* ait ibid.) *post artes magicas scire debuerant, a quibus fuissent aliquando decepti*. M.

(13) Christum scilicet, supra quem fide & operibus aedificamur. *Super hujusmodi petram*, inquit S. *Hieronymus* (loco nuper indicato) *non inveniuntur serpentis vestigia*. M. 13

(14) Fidem habere sine operibus possumus. Docet id diserte S. *Paullus* 1. Cor. XIII. 2. *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum*. At ejusmodi fides mortua est. *Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?* (Jac. II. 20.) Audeat ne aliquis hac fide praeditus, se Christi discipulum appellare? quum licet ejus praeceptiones suscipiat, non illas tamen sequatur, atque adeo dedecoret. M. 14

(15) Ejusmodi sunt, qui *non captivant intellectum in obsequium fidei*. Post multas demum inquisitiones nil fere, quam dubitare noverunt, aut si nulla illis dubitatio injiciatur, in gravissimos errores prolabuntur. Quid, ut exemplo rem confirmem, illis ineptius, quid miserabilius, quae ab Ethnicis Philosophis de divinitate disputata fuisse comperimus? Absurdae istiusmodi opiniones, & errores virorum, qui ingenii doctrinaeque fama celebrabantur, 15

certissimo nobis argumento esse debent, quo mentis nostrae imbecillitatem, fideique necessitatem doceamur. M.

16 (16) Dei scilicet Filius. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Discussit ille aut Pyrrhonismi, aut falsarum opinionum tenebras, in quas sapientissimi quique gentium Philosophi deprimebantur. M.

17 (17) Quum haec omnibus generatim haereticis, atque schismaticis, qui aeternam animabus perniciem atque adeo desperationem inferunt, adprime conveniant, *Felicissimi* tamen factionem, ac *Novatiani* haeresim praecipue spectant. Ille enim in persequutione lapsis veniam absque poenitentia pollicebatur; hic contra in desperationem Apostatas conjiciebat, quos purae Ethices, & gloriae Evangelio comparandae obtentu ab Ecclesiae communione, ac scelerum venia arcebat. M.

18 (18) Equidem miror, doctissimum *Massiliensem* Episcopum hanc lectionem retinuisse, quum vel ipse *Balutius* legere se maluisse fateatur *unitatis*, quemadmodum paullo post scriptum est *unitatis ejusdem originem*. *Tertulliani*, ac *Firmiliani*, itemque Concilii *Turonensis* auctoritate hanc ille lectionem confirmat. Ego vero hanc unam a tota orationis *Cyprianicae* serie deposci contendo. Quae enim sequuntur, eo spectant, ut demum *Cyprianus* probet, haereses & schismata exoriri; 1. quod unitatis origo a Christo disposita non spectetur; 2. quod Cathedra *Petri* deseratur; 3. quod unitas

tas ab eodem Chriſto praecepta non teneatur. Haec jam cum ſuperioribus confer: *hoc eo fit, fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur* (en primam illam haereſum, & ſchiſmatum cauſſam), *nec caput quaeritur* (en alteram), *nec magiſtri coeleſtis doctrina ſervatur* (en tertiam). Quemadmodum ergo *caput*, quod non *quaeritur*, *deſertae* Petri *Cathedrae*, *vec tenta unitas magiſtri coeleſtis non ſervatae doctrinae* reſpondet; ita ut *unitatis origini*, quae *non ſpectatur*, origo, *ad quam non reditur*, plane reſpondeat, non certe *veritatis* ſit oportet, ſed *unitatis*.

(19) Chriſtus caput eſt Eccleſiae inviſibile; univerſae Eccleſiae viſibile caput eſt ſummus Pontifex, uti quique Epiſcopi ſingularum, quibus praeſunt, Eccleſiarum. *Novatianus*, ejuſque factio a *Cornelio* Papa legitime electo defecerat; *Feliciſſimus* cum ſuis adſeclis ab Epiſcopo ſuo *Cypriano*, qui cum *Cornelio*, univerſaque Eccleſia communionis vinculo colligabatur. Schiſmatici, quos *Cyprianus* hoc libro refellit, caput non agnoſcebant; immo ſummum Pontificem, & *Carthaginienſem* Epiſcopum calumniis inceſſere, ac populi invidiam in eos uti Epiſcopatu indignos, quibuſcum communicare nefas eſſet, conflare ſatagebant. M. Vera haec ſunt, ſed niſi fallor, ad *Cypriani* ſententiam non pertinent. Nam caput, de quo heic *Cyprianus* loquitur, prorſus de uno *Romano* Pontifice cum *Pamelio* intelligendum. Explicans enim, quodnam illud caput ſit, ait: *probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis*. *Loquitur* 19

tur Dominus ad PETRVM &c. Quid? quod unitatem Ecclesiae non cujuscumque, sed Catholicae heic *Cyprianus* aperte designat; ejus autem Caput non est nisi *Romanus* Pontifex. Adde, librum fuisse a *Cypriano* scriptum *adversus Novatianum Cornelio* Papae Pontificatum eripere conantem; quod & titulo adscriptum in veteri codice *Pamelius* legit. Hinc vero *Febronius* velim addiscat; quam falso *Tomo III.p.*29. *seqq.* a SS. Patribus Christum dici *Ecclesiae caput*, PETRVM *vero numquam* adfirmarit.

20 (20) Haec Christi verba, quibus primatus non solum dignitatis, sed etiam jurisdictionis, *& plenitudo Apostolicae potestatis* (mirabitur *Febronius*, *Gallicanae* Ecclesiae Episcopum; ut de *Bernardo* notaverat T. III. p.242. *obscurorum saeculorum doctrinis de plenitudine Pontificiae potestatis tinctum fuisse*) *Petro* confertur, non inania fuerunt, & sine effectu. Quod praeseferunt, in *Petro* divina virtute effecerunt, & in illius successoribus etiamnum efficiunt. Dignus est, qui recolatur, S. *Hieronymi* in ea commentarius: *Et ego dico tibi. Quid est quod ait: Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti: Tu es Christus Filius Dei vivi; & ego dico tibi non sermone casso & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est.*

21 (21) Metaphorico *Petrae* nomine Scriptura *Christum* designat. Is est *lapis*, *quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli* (Ps. CXVII.) *Paullus* quoque Apostolus de suae gentis Patribus loquens ait (1.Cor. X. 4.) *Bibebant autem de spiritali consequente*

eos

eos petra: *petra autem erat Chriſtus*. Salvator ſuam cum *Simone Johannis* filio poteſtatem communicans, illi quoque nomen impartitur, ad ſublime, quod ei deferebat, munus deſignandum cetera inter ſua nomina adcommodatius. Supra ipſum veluti ſupra viſibile caput condenda eſt Eccleſia; hacque de cauſſa *Petrus* appellabitur: *quia tu es Petrus*. Idem cum ceteris Apoſtolis praeſtitit, dum eos ad illuſtrandas Evangelii luce nationes miſit: eſt utique ipſe *ἀντονομαστικῶς lux mundi*; eos tamen, quum Apoſtolatus, quo functuri erant, munera, effectuſque indicare vellet, lucem mundi vocavit: *vos eſtis lux mundi*. M. Haec *Maſſilienſis* Praeſulis adnotatio ex SS. *Hieronymo* & *Leone* M. ſumpta eſt, quorum ille comm. in Matth. Cap. XVI. ait: *Sicut ipſe lumen Apoſtolis donavit, ut lumen mundi appellarentur ... ita & Simoni, qui credebat in Petram Chriſtum*, Petri *largitus eſt nomen, ac ſecundum metaphoram Petrae recte ei dicitur, aedificabo Eccleſiam meam ſuper te*. Alter vero Serm. III. edit. Queſn. Cap. II. *Ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es* Petrus, *ideſt, quum ego ſim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quae mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia*.

(22) Petra, de qua hoc loco Chriſtus loquitur, Princeps eſt Apoſtolorum. Docet id infra S. *Cyprianus*, ubi ait: *ſuper illum unum* 22

 aedi-

aedificat Ecclesiam suam. S. vero *Hieronymus* commentario in eadem Christi verba ait: *ac secundum metaphoram petrae recte dicitur ei: aedificabo Ecclesiam meam super te*. *Paullus* tamen ad *Corinthios* scribens, *fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*. *Johannes* quoque in *Apocalypsi* novam Jerusalem describens duodecim ejus fundamenta agnoscit his verbis: *Et murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*. Verum etsi hae sententiae cum illa confligere videntur, re tamen ipsa ab invicem non dissident. Christus enim solum est Ecclesiae fundamentum, quatenus unus ipse eam propria virtute sustentat, unus invictam reddit, & adversus omnes inferarum potestatum conatus infractam. Apostoli quoque illam communiunt, ac defendunt, sed ea virtute, quam Christus illis veluti cum suis ministris, qui ejus vices agunt, quorumque opera exterius agit, impertit; atque hoc demum sensu duodecim sunt novae Jerusalem fundamenta. Inter hos tamen, quem Christus designavit, *Petrumque* appellavit, is excellentiore quodam titulo munimen est Ecclesiae ac fundamentum, quia nempe universae Ecclesiae Caput est, Apostolicae potestatis plenitudinem habet, in omnes Ecclesias suam auctoritatem exporrigit, atque in specula collocatus est, ut omnem Christi gregem sua vigilia incolumem reddat.
M. Certissima haec sunt, ea tamen a recentissimis *Schuberti Lutherani* hominis animadversioni-

sionibus sunt vindicanda. Ait ille in *commentatione historico-Theologica de Jurisdictione Pontificis Romani Cap. IV. §. 80.: tenendum est, petram istam, quam fundamentum Ecclesiae fore Christus tunc praedicebat, non esse Petrum, sed confessionem ab eo editam, seu veritatem istam quam suo & collegarum nomine confessus fuerat: Tu es Christus, filius Dei viventis*. At quibus id argumentis efficere se posse existimat? omnino quinque; quae illius fere verbis proponam.

1. „ Christus non dicit, *Tu es* Petra, „ *& super hac petra aedificabo &c.*, *sed tu es* „ Petrus *& super hac petra &c.* σὺ εἶ πέτρος, „ καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, qua diversa loquen„ di ratione (significat) aliud esse *Petrum*, ad „ quem loqueretur, & aliud esse Petram, cui „ suam vellet imponere Ecclesiam. Certe si „ declarare voluisset, *Petrum* esse Petram il„ lam, in qua aedificanda esset Ecclesia, sine „ dubio dixisset: *Tu es* PETRA, *& super* „ *hac* PETRA &c. Sic enim res extra dubium „ posita fuisset, & extra dubium poni debuis„ set, si *Petrus* his verbis constituendus fuis„ set caput Ecclesiae, quod adversariis primum „ fidei caput esse videtur „. Ego vero, etsi id a nobis *fingi Schubertus* paullo post adserit, non dubito, quin *Christus* non *Petri* nomine, sed *Syriaco Cephae* usus sit. Nam ut illud praeteream, quod apud doctiores quosque compertum est, *Christum Syro-Chaldaicum* sermonem, qui passim apud *Hebraeos* sui temporis obtinebat, usurpasse (quid enim eos morer,

 qui

qui *Christum* aut *latine* cum *Harduino*, aut *Hellenistice* cum nupero ceteroquin erudito Scriptore *Neapolitano* loquentem comminiscuntur?) heic impletum *Christi* promissum aperte videmus, *Simoni*, quum primum ad ipsum ab *Andrea* fratre adductus fuerat, ajentis (Joh. I. 42.): *tu vocaberis* CEPHAS, *quod interpretatur* Petrus. Porro *Cephas Syriace petram* significare tam est exploratum, ut in dubium vocari omnino nequeat. Locupletissimum testem appello S. *Hieronymum* in *Orientalibus* linguis diu multumque magna cum laude versatum, qui in *Caput II. epistolae ad Galatas*, quum *Hebraico-Syriacam* vocem *Cephas* Graece & Latine *petram* reddidisset, *non quo aliud*, inquit, *significet* Petrus, *aliud* Cephas; *sed quod quam nos Latine & Graece* Petram *vocamus*, *hanc* Hebraei & Syri *propter linguae inter se viciniam* Cepham *nuncupent*. Quamobrem *Christum* non *Graeco* aut *Latino Petri*, sed *Syriaco Petrae* vocabulo usum si dixero, quid solidi contra *Schubertus* reponet? Illud profecto inficiari non poterit, *Orientales* quasque Evangeliorum versiones *Petram*, saxumque, non *Petrum* heic exhibere. A *Syris*, quorum interpretationem vel ipse *Tremellius* Apostolicis temporibus proximam judicat, hoc *Matthaei* comma ita redditur: *An ha* Kipho, *ve al* Kepho: *tu es Cepha, & super hanc Cepham*, utique *petram*. Similia sunt illa apud *Chaldaeos*: *Ant hu Kipha, ve al hada Kipha*. Ipsum Evangelium *Hebraeum*, quod veluti *αυτογραφον* S. *Matthaei* textum *Sebastianus Munsterus* edidit, utroque loco Kepha prae-

praesefert. *Tu es rupes, & super hanc rupem Armeni*, atque *Aethiopes* legunt; *Arabes* vero: *tu es ascara* (saxum) *& super hoc ascara* (saxum). *Sanac* utrobique, *Petra* scilicet est *Persis*; alia vero *Persica* interpretatio ex *Eduardi Pocochii* codice in sextum *Waltonianorum* Bibliorum volumen illata, quam editor *le Clerc* vetustioris *Syriaci* exempli versionem habet, *Christi* sententiam his verbis reddit: *Tu es petra meae Religionis, ac fundamentum meae Ecclesiae super te jacietur*. Alia in hanc rem profert Eminentiss. *Perronius* in magno illo opere, quod *Parisiis* 1620. prodiit inscriptum: *replique a la réponse du Roy de la grand Bretagne Lib.I.cap.56.p.545.seq.* Nec tanta tam variarum gentium in hoc interpretando textu consensio satis firmo argumento erit, a *Christo Simonem* non *Petri*, sed *Petras* nomine designatum fuisse? Lepidus est *Schubertus*, qui tot antiquissimis versionibus unum *Graecum* textum opponat, eumque, quo ceteris omnibus praestantior habeatur, *a Deo inspiratum* appellet. Sed dum hujusce divini adflatus tabulas proferat, (quod difficillimum tamen illi futurum edico, quum *Matthaeum hebraico* scripsisse sermone perpetua antiquitatis opinio, & omnium veterum Scriptorum auctoritas doceat, atque adeo non *Graecus*, sed *hebraicus*, si aetatem tulisset, textus divino adflante numine perscriptus haberi deberet); dum, inquam, ille *Graecum Matthaei* textum instinctu Dei ac ratione prodiisse confirmet; id ceteri cum *Maldonato*, aliisque nobilissimis Catholicarum partium interpretibus ani-

animadvertant, *petram Graece* & πέτρον masculino, & πέτραν feminino genere dici; quod & *Henricus Stephanus* in suo lexico adlatis veterum sententiis ostendit, & *Camero* ipse heterodoxus in suis ad hunc locum Commentariis consentit. Quod si *Schubertus* quaereret, cur ergo *Graecus Matthaei* interpres illam nominum, & generis distinctionem adhibuerit, ratio in promptu erit; *Petrum* nempe, qui vir erat, non Petram feminino, sed *Petrum* masculino nomine vocari decuit; ubi vero secundo loco de aedificii fundamento agebatur, non *Petrum*, sed *petram* dixit, quamvis idem utrumque nomen significaret, quia in ejusmodi aedificiis nomen *petrae* femininum altero, quod & *Atticum* & rarum est, vulgarius usurpatur.

2. Triplex Ecclesiae fundamentum *Schubertus* distinguit. Primum *substantiale* vocat, hocque solum *Christum* esse contendit; *in eum* enim, inquit p. 199., *solum credere jubemur, & credere possumus*. Alterum *organicum* appellat, nempe *medium illud, quo fides in nobis producitur. Et hoc est solum verbum Dei. Quatenus illud a* Petro *praedicatum est, dici quidem posset fundamentum fidei & Ecclesiae, sed non quoad personam, verum potius quoad doctrinam suam, quam & reliqui Apostoli praedicarunt, & adhuc hodie omnes ministri Ecclesiae praedicant*. Tertium denique *dogmaticum* dicit, quod est *omnium dogmatum primarium*, veritas scilicet, quam fuerat *Petrus* confessus, *Jesum esse Redemptorem nostrum, & unigenitum Dei filium*. *Ergo*, inquit Schubertus p. 200;

& eam

& eam Christus respicit, eamque Petram vocat, cui suam Ecclesiam superstruere vellet. Quid igitur oportuit Christum praefari: *Tu es Petrus?* oportuit enimvero, si *Schubertum* audimus. *Praeclaram utique confessionem heic Apostolus ediderat. Christus vero, qui illius inconstantiam, & temeritatem optime noverat, ejusque lapsum & abnegationem praevidebat; hac occasione eum monere volebat, ut in hac confessione, instar petrae, constans & immobilis permaneret.* Quamobrem Christi verba in hunc modum eodem *Schuberto* interprete sunt exponenda. *Appellaris* Petrus, *ut in confitendo similis sis veritati, quam nunc confessus est, & quam petram esse, tibi dico, cui inniti debeat mea Ecclesia. Ergo,* (demum concludit *Lutheranus* Doctor) *haec praefatiuncula*, tu es Petrus, *non est vox declarantis, neque promittentis, sed hortantis & commonefacientis.* Pudet fere tam absurdas, ineptasque nugas exscribere. His tamen quis crederet? *Haelmstadiensis* Professor *Romanam* Cathedram disjicere se posse confidit. O miseros homines, qui a recto fidei tramite aberrarunt! quid restat, nisi ut & humanitatem ipsam vanissimis deliramentis dedecorent? *Christus* utique, atque adeo ejus fides fundamentum est; *si enim*, ut S. *Augustinus* ait *de fide & operibus cap.* 16., *Christus est fundamentum, procul dubio & fides Christi.* Verum *Schubertus* si sectariorum suorum more *Religionem*, atque *Ecclesiam* non confunderet, profecto intelligeret, quae de fundamento *substantiali*, atque *dogmatico* nobis obtrudit, ad Religionem spe-

ſpectare, non ad Eccleſiam, *Chriſtumque* ipſum alio plane ſenſu *Religionis*, alio *Eccleſiae* fundamentum dici oportere. Nimirum *Religio* vel credendorum norma eſt, quam quis argumentis illam inter omnes Religiones credibilem ſumma evidentia ſuadentibus fere compulſus profitendam ſumit; vel ipſa animi adhaeſio, qua quis Dei colendi, aeternaeque ſalutis ſibi comparandae cauſſa eam normam tot momentis ut veram agnitam firmiſſime amplectitur, in eumque finem hominum coetui nomen dat ad hancce ſervandam normam certis quibuſdam & definitis regulis ſub legitimis Praeſidibus conſociatorum. *Eccleſia* porro is ipſe credentium coetus eſt, unius & ejuſdem Chriſtianae fidei profeſſione, atque eorumdem Sacramentorum communione ſub legitimorum Paſtorum ductu & imperio conjunctus. Quodnam ergo *Religionis* fundamentum eſt? quodnam *Eccleſiae*? *Chriſtus* fundamentum eſt *Religionis* (*ſubſtantiale* vocet *Schubertus*, vocet *dogmaticum*; utrumque per me licet) non quod *unicum fidei noſtrae objectum ſit* (id enim imperite falſoque ab eo dicitur) ſed quod praecipuum ac princeps Religionis dogma, cui cetera demum omnia nituntur, immo uti apud *Johannem* XVI. 3. docemur, *haec eſt vita aeterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum*. *Eccleſiae* quoque fundamentum eſt *Chriſtus*, non ut fidei objectum (id enim ad *Religionis* fundamentum, quemadmodum nuper ajebam, omnino ſpectat), ſed ut auctoritate prorſus ſolida ac firma, atque adeo divina, qua certo niti oporteat omnes

nes fideles in iis rebus, quae ad fidem, cultum, & mores, atque adeo ad Ecclesiae aedificationem pertinent, Ecclesiam suam sustentans *ad consummationem Sanctorum, ut evadamus omnes in virum perfectum* (Eph.IV.) Verum hanc ipsam fundamenti rationem placuit *Christo* cum *Petro* communicare. Id eleganter explicat *Asterius Amaseae* Episcopus *Orat. in Petr. & Paul.* his verbis: „ Sane vero *Isaias* „ vaticinio ait, posuisse Patrem filium *lapi-* „ *dem angularem*, nimirum significans mundi „ totam concretionem illo fundamento, ac basi „ nixam esse. Quin & rursus Unigenitus, uti „ sacris Evangelii libris conscriptum est, *Pe-* „ *trum* Ecclesiae fundamentum dicit: *Tu es* „ Petrus, *& super hanc Petram aedificabo &c.* „ Primus revera hic, ceu grandis quidem, „ ac durus lapis in mundi hujus cava demissus „ est, sive in convallem plorationis, quemad- „ modum *David* ait, ut Christianos omnes „ superaedificatos portans in sublime, nem- „ pe ad spei nostrae domicilium, subvehat. „ Fundamentum aliud nemo potest ponere „ praeter hoc, quod positum est, quod est *Chri-* „ *stus Jesus*. Sed & simili quoque Salvator no- „ ster appellatione primum suum discipulum „ honestandum duxit nominans *fidei Petram*. „ Per *Petrum* ergo, verum, ac fidelem pie- „ tatis doctorem effectum, Ecclesiarum stabi- „ lis inflexaque firmitas consistit „. Fuerunt equidem post exortam *Arrianam* haeresim non pauci Patres, qui *Petri* fidem *petrae*, super quam aedificanda erat a Christo Ecclesia, nomine

mine designatam velint. Sed nemo tam vaecors hactenus inventus est, qui sub hujus *fidei* vocabulo veritatem ipsam a *Petro* singulari firmitate prolatam latere intellexerit. Quis enim quaeso sensus esset horum verborum? *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es* Petrus, *& super hanc veritatem, quod sim Filius Dei tanquam petram aedificabo Ecclesiam meam*. *Petri* nomen quid huc intruditur? quid illa quasi ex antecedentibus collectio: *& ego dico tibi, quia tu es* Petrus? quid pronomen super HANC *Petram*, quum nil proxime nisi *Petri* nomen praecesserit, veritas autem illa ab universa orationis serie maxime distet? Vide & consequentia, quam belle cum *veritate* PETRA *cohaereant*: *& tibi dabo claves Regni Coelorum*. Quidquamne hac oratione magis disiunctum ac dissolutum? Fidem igitur *Petri* qui *Petram* dixerunt, non ipsum, quod *Petri* fides detexit, ac patefecit, objectum, Christi, inquam, divinitatem intellexerunt; sed confessionem, quam *Petrus* de Christi edidit divinitate. Ita S. *Hilarius* (*Lib. VI. de Trinitate*): *Super hanc igitur* CONFESSIONIS *petram Ecclesiae aedificatio est*. Sanctus quoque *Cyrillus Alexandrinus* (*Lib. IV. in Esaiam Orat. II.*) ait: ;, Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,,; *petram opinor vocans immotam* FIDEM DISCIPULI. Sed nihil his S. *Leonis* verbis disertius (*Serm. III. in anniv. adsumpt. suae ad Pontific.*) ,, *Quia tu es* Petrus; id est, quum ego sim invio-

,, inviolabilis petra; ego lapis angularis, qui ,, facio utraque unum; ego fundamentum, praeter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen ,, tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quae mihi poteſtate ſunt propria ,, ſint tibi mecum participatione communia. ,, *Et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam &c.* ſuper hanc, inquit, fortitudinem ,, aeternum extruam templum, & Eccleſiae ,, meae coelo inferenda ſublimitas in hujus fidei firmitate conſurget. Hanc CONFESSIONEM portae inferi non tenebunt, mortis ,, vincula non ligabunt,,. Alios in hanc rem Patres vide apud *Ballerinium* (*de vi ac ratione Primatus p.57. ſeqq.*) Ceterum ut recte animadvertit doctiſſimus *Valentia in Analyſi fidei* (*p.* VII. *pag.* 234. *Ingolſtad. edit. an.* 1585.) ,, quod ad rem ipſam adtinet, nihil intereſt, ,, utrum ſupra *Petrum*, fidem certo ac ſingulariter confitentem, atque docentem, vel ſupra certam & ſingularem *Petri* confeſſionem, ,, Eccleſiam fundatam eſſe dicas. Eodem enim ,, res redit. Nam neque nos, quum ex ſententia Patrum ſupra *Petrum* fundatam Eccleſiam eſſe adfirmamus, perſonam *Petri* cogitamus nudam, ſed explicantem certam de ,, Filio Dei fidem; neque etiam illo loco vel ,, nuda fidei confeſſio per ſe ipſa, vel alterius ,, hominis, praeterquam *Petri*, poteſt intelligi. ,, Dicit enim Chriſtus: *ſuper hanc petram*, id ,, eſt, ſuper te, *Petre*, confitentem, atque ,, adeo ſuper confeſſionem fidei tuam certam ,, & immobilem. Itaque utrumque videmus a

vete-

„ veteribus explicatum esse, & supra *Petrum*, „ & supra *Petri confessionem* Ecclesiam esse fun- „ datam. Quoniam nihil re ipsa inter utrum- „ que interest, ut dictum est. *Princeps*, in- „ quit Chrysostomus (Hom. XXVII. ex variis „ locis Matth.) *Apostolorum* Petrus, *super quem* „ *Christus fundavit Ecclesiam, vere immobilis* „ *petra, & firma confessio*. Ac rursus alio in „ loco, posteaquam supra fidem *Petri* Ecclesiam „ aedificatam esse dicit; ut magis explicet, hoc „ tantumdem esse, ac supra *Petrum* certo de fide „ pronunciantem aedificari, haec verba subjun- „ git (Hom. LV. in Matth.): *Id Christus agit, ut homo piscator quavis petra firmior reddatur, universo terrarum orbe reluctante*. Confer etiam Cl. *Orsium* (*de irreform. Rom. Pontif. judicio T. II. Lib. IV. cap. 2. artic. 1. §. VI.*) Illud nunc non praetereundum, quod nuper ex *Schuberto* intelleximus, nihil heic *Petro* fuisse a Christo promissum, sed de futuro lapsu *Petrum* graviter admonitum, quasi vero *Petrus* dum Christum negavit, veritatem, quam antea professus fuerat, Christi scilicet divinitatem ejurasset, ut a Christo monendus foret, *ut in hac confessione instar petrae constans & immobilis permaneret*. Sed delirantem hominem dimittamus. Patribus potius adsentiamur, *Christum* illis verbis, *& super hanc petram &c.* praemium *Petri*, quam laudaverat, confessioni promisisse agnoscentibus. Paucos adfero. *Cyrillus*, quem nuper appellavi (*Lib. IV. Dialog. de Trinit.*) *tam verae*, inquit, *sententiae remunerationem* Petrus *reportavit*. Elegantius in *Matth. XVI.* *Hila-*

Hilarius ait: *& dignum planè confessio* Petri *praemium consequuta est, quia Dei filium in homine vidisset ... o in nuncupatione novi nominis Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra &c.!* Paucis *Hieronymus* (*Lib. III. Comm. in Matth.*) *Mercedem recepit vera confessio*. Addatur his *Theophylactus* in hunc ipsum *Matthaei* locum: *Remunerat* Petrum *Dominus, mercedem illi dans magnam, quod supra eum aedificavit Ecclesiam*. Valeat ergo cum suis fundamentis *substantiali, organico, & dogmatico Haelmstadiensis* Professor; nobis non licet esse tam aut insanis aut improbis, ut & a luculentissimis Patrum sententiis diffideamus, & ipsa *Christi* Domini verba nefario ausu corrumpamus.

3. „ Si *Petrus*, inquit Schubertus *pag.* „ 201., esset illa petra, Ecclesiam sustentatu- „ ra, ea quoque in *Petro* fundata & aedificata „ fuisset, ipso *Christo* adhuc vivente, & in „ terris ambulante. Nam ipsius Ecclesia jam „ tum erat plantata & fundata, & verba, „ *aedificabo Ecclesiam*, non significant, quid „ Christus facere incepturus, sed quid facere „ continuaturus esset. Quum vero *Christus* in- „ ter homines adhuc versaretur, quis diceret, „ tunc non *Christum*, sed *Petrum* Ecclesiae ca- „ put & fundamentum fuisse „? Quid est nugas agere, nisi hoc est? Et tunc erat, & nunc est *Christus* Ecclesiae suae fundamentum; sed tunc adspectabile, nunc invisum: quia porro ad sustentandam secundum praestitutas ab eo leges Ecclesiam visibile aliquod fundamentum

necessarium erat, *Petrum* ejusque successores ad id in sui locum suffecit. Hinc verbo *aedificabo* usus est, & quod heic *Petro* promiserat, reapse solum post resurrectionem contulit, ut de Ecclesia, quae post suum in coelos adscensum cogenda erat, se loqui significaret, non de ea, quae se vivo coaluerat. Ridet haec *Schubertus*, ridendus ipse, ac *Bellarmino*, qui eodem usus fuerat argumento, insultans, *an non*, inquit *p.* 202., *utraque eadem est Ecclesia? an non utriusque eadem fides? Unde igitur diversum fundamentum? Perpende, quid dicas. Prioris Ecclesiae fundamentum fuit Christus; posterioris vero fuit* Petrus. *Ergo nostrum fundamentum non est Christus*. Miseret me istiusmodi cavillatoris, qui tantis delectatur ineptiis. Eadem est utraque Ecclesia, eadem utriusque fides; idem utriusque fundamentum *Christus*; sed primae illius Ecclesiae, quae ex B.Virgine, *Simeone*, *Johanne Baptista*, Apostolis, aliisque discipulis constabat, *Christus* inter mortales visibilis degens; nostrae idem *Christus*, non tamen solus, sed *in consortium individuae unitatis*, quemadmodum ad Episcopos Provinciae *Viennensis* scribebat Magnus *Leo Epist. X. adsumpto Petro*, ut quoniam a militante Ecclesia erat ipse secundum visibilem praesentiam deinceps absuturus, non deesset, qui illam in hominum conspectu Vicaria cura ac potestate regeret ac sustentaret. Siquid heic absoni *Schubertus* videre sibi videtur, meminerit se absque piaculo dubitare non posse, quin Ecclesia superaedificata sit *super fundamentum Apostolorum*
& *Pro-*

& *Prophetarum*, id diserte docente *Paullo* (*Eph.* 11.20.); neque tamen quisquam nisi emotae mentis fuerit, hinc colliget, *nostrum fundamentum non esse Christum*.

4. ' ,, Apostoli, qui aderant huic promis-
,, sioni Christi, non putabant, *Petrum* hoc ipso
,, constitutum esse caput & fundamentum Ec-
,, clesiae. Nam paullo post inter se quaerebant,
,, quisnam futurus esset maximus in Regno
,, Coelorum? *Luc. XXII.*24. Num hac de re
,, disputatio ventilari potuisset, si *Christus Pe-*
,, *trum*, praesentibus Apostolis, caput Ecclesiae
,, constituisset? Aut num *Christus* ad hanc quae-
,, stionem respondere potuisset, in suo Regno
,, nullum esse principem, qui imperaret? Non-
,, ne potius Apostolos ad *Petrum* rejecisset?
,, Nonne dixisset, ipsos non ignorare, *Petrum*
,, pro *petra* declaratum esse, & hinc ab eo
,, regendam esse universam Ecclesiam,,? Negat ergo *Schubertus* huic inter Apostolos contentioni locum futurum fuisse, si *Petrum* a *Christo* Caput Ecclesiae constitutum novissent. Aliter ab ipso *Origenes* sensit, ac licet id Apostolis plane perspectum non fuisse concedat (quod quis miretur, quum ne ipsam quidem Domini Resurrectionem etsi centies a Christo sibi inculcatam *Joh. XX.* 9. omnino compertam habuerint?) aliquam tamen de hoc ipsis suspicionem obortam, hac immo de caussa contentionem inter illos enatam agnovit. *Quum ergo*, inquit in Matth. T.XIII. *maximo a Jesu* Petrum *honore adfectum existimarent, qui majorem eum ceteris suis discipulis judicasset, id quod suspi-*

cabantur, Jesum interrogando... exploratum habere voluisse mihi videntur; simul etiam sperabant futurum, ut caussam cognoscerent, cur ceteris discipulis Petrus *antelatus fuisset*. Quod vero *Schubertus* petit, *num Christus ad hanc quaestionem respondere potuisset, in suo regno; nullum esse principem, qui imperaret?* sumit, quod aperte falsum esse adversus *Calvinum*, *Bellarminus*, & *Valentia* ostenderunt, *Christum* scilicet respondisse, *in suo Regno nullum esse principem, qui imperaret. Primum enim,* inquit *Bellarminus* (*de Rom. Pont. Lib. I. cap. 9.*), *non ait Dominus, vos non praesidebitis ullo modo, sed non sic, ut Reges gentium. Qui autem dicit; tu non sic praeeris ut ille, id significat, praeeris quidem, sed aliter quam ille. Deinde nonnne clare hoc loco subiungitur:* qui inter vos major est, fiat sicut minor, & praecessor, *Graecae* Ἡγέμενος, *idest dux & princeps*, fiat sicut ministrator? *unus igitur erat a Domino dux designatus*. Haec *Schubertus* refellere ante debuerat, quam *Calvinianam* crambem recoqueret.

5. *Schubertus p.* 207. *Bellarmino* illudit, qui non *Petrum* solum, sed reliquos omnes Apostolos dici fundamenta *ratione gubernationis* adfirmarit. „ Equidem, inquit, & regimen „ Ecclesiae est necessarium. Sed primo dici „ nequit illius fundamentum. Non enim prius „ regi potest Ecclesia, quam existit. Existere „ autem non potest, nisi prius jactum sit il„ lius fundamentum. Nam fundamentum sem„ per prius est ipso aedificio. Quare si analogiam

,, giam sequamur, quemadmodum heic oportet, ita nobis ratiocinandum est : Fundamentum prius existit Ecclesia ipsa, quae illi superstruitur. Regimen vero posterius est existentia Ecclesiae. Ergo hoc regimen non potest esse illius fundamentum ,, : Acute sane. Verum *Bellarminus* dixerat tribus modis Apostolos omnes fuisse Ecclesiae fundamenta, *uno modo, quia ipsi primi Ecclesias ubique fundarunt, altero modo ratione doctrinae a Deo revelatae, tertio modo ratione gubernationis*. Tres hi modi disjungendi non sunt: porro si non disjungantur, quum primus Ecclesias non existentes, deinde ab Apostolis fundatas exhibeat, regimen (quod ad tertium modum spectat) Ecclesias jam existentes sumit, easque Apostolorum fundamento superextructas, quum illas Apostoli fundarint. Quod igitur regimen *posterius sit existentia Ecclesiae*, *Bellarminum* non ferit, qui non in uno Ecclesiae regimine, sed cum in ejus fundatione, tum in regimine illius fundamentum collocat. Duo nempe ea sunt, quibus fundamenti ratio potissimum continetur: primum quod illi aedificium superexstruatur; alterum quod superpositam molem sustentet, ne corruat. Ad illud Ecclesiae fundatio; ad hoc pertinet regimen. Nam Ecclesiae aedificium ejus generis est, quod nisi *Petri* rectione fortasse condi, certe firmari non possit. Quid enim aliud est Ecclesiam aut aedificari, aut aedificatam constabiliri, quam fide, cultu, & moribus aptari divino beneficio, atque perfici fideles, ut postquam gratia expoliti; ac tum inter

sese, tum cum Christo quam maxime conjuncti fuerint, ex illis quasi construatur dignum Deo habitaculum, secundum gratiam quidem in hac vita, secundum vero aeternam beatitudinem in altera? Id autem quei absque suprema alicujus gubernatione obtineri queat, ne intelligi quidem potest. Sed de *Schuberto* satis hoc loco.

23 (23) Vulgata habet eodem sensu: *non praevalebunt adversus eam*. *Christus* his verbis Ecclesiae suae ασφαλιας donum, numquam defecturam stabilitatem, plenamque de infernis potestatibus victoriam pollicetur. Quia tamen exstiturae erant haereticae, atque schismaticae Societates, quae verae Ecclesiae nomen sibi falso vindicarent, harum ab ea secernendarum notam a *Christo* docemur; ea autem est, Ecclesiam falli nesciam, perpetuo duraturam, atque infernarum potestatum victricem super *Petrum* fundatum iri: *& super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Inferorum potestates *Orientalium* stylo *portae* vocantur, quod ad portas consilia haberi, ac milites urbium custodiae destinatos collocari in more erat. Quae porro sint hae potestates, explicat S. *Hieronymus* in h. l. *Ego*, inquit, *portas inferi reor vitia atque peccata: vel certe haereticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad Tartarum*. Quia vero *Graecum* nomen, quod *inferi* ab interpretibus redditum est, mortem quoque significat, S. *Hieronymus* (ibid.) sibi aut occupandum aut oppugnandum censuit eorum errorem, qui Apostolos morti nequaquam obnoxios fuisse confingerent; quasi *Christus* Ecle-

clesiae suae victoriam pollicitus ejus rectoribus immortalitatem promisisset. *Nemo itaque putet de morte dici, quod Apostoli conditioni mortis subjecti non fuerint, quorum Martyria videat coruscare*. Apostolorum ac fere innumerabilium, quos ii habuere, successorum gloriosa mors adeo Christi promissionem non infirmat, ut ejus vim majori in luce collocarit, Ecclesiaeque victoriam illustriorem reddiderit. M.

(24) *Beza Calvini* discipulus ita hunc locum commentatur: *Non igitur tum dedit, sed tantum promisit. Dedit autem postea, non uni* Petro, *sed singulis Apostolis in solidum*. Joh. XX. 22. *ut recte* Cyprianus *explicat*. Quibus verbis haeresiarcha summi Pontificis primatum conatur evertere. Plura ei reponimus. Ac primum quum *Christi* promissa falli nequeant, hoc certe effectu non caruit. *Petrus* igitur, atque in eo illius successores Regni Coelorum claves procul dubio adcepere cum potestatis & jurisdictionis heic denotatae amplitudine. Secundo nulli Apostolorum Christus promissionem tam amplam fecit: omnibus simul loquutus est Matth. XVIII. quum diceret: *quaecumque adligaveritis super terram, erunt ligata & in coelo: & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in coelo*; itemque quum Joh. XX. 23. ait: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Enimvero ut in sermone ad *Gallicanum* a. 1682. conventum habito animadvertit illustrissimus *Meldensium* Antistes *Bossuetius*: ,, potestas cum ,, pluribus communicata ex ipsa sui divisione 24

„ quodammodo circumscribitur; contra pote-
„ stas & in omnes, & sine ulla exceptione
„ uni delata plenitudinem importat, quumque
„ alius nemo sit, cui tribui debeat, nullis de-
„ finitur limitibus, quam quos ipsa rei natura
„ postulat „. Tertio his verbis: & tibi dabo &c. *Petro Christus* Apostolicae potestatis plenitudinem promittit, neque hoc postea promissum verbis ad Apostolos habitis, ac Missione illis collata circumscripsit. „ *Christi* igitur, inquit is, quem nuper laudavi, doctissimus
„ Praesul, consilium fuit primum in unum
„ conferre, quod erat deinde cum pluribus
„ communicaturus; sed quae sequuntur, coe-
„ ptibus non officiunt, nec primus sua sede
„ dejicitur. Primum hoc verbum: *& tibi da-*
„ *bo* uni dictum jam ejus potestati omnes sub-
„ jecit, quibus postea dicetur: *quodcumque re-*
„ *miseritis*; promissa enim *Christi* non secus
„ atque ejus dona inconstantiae obnoxia non
„ sunt, quodque semel datum est infinite atque
„ universe, perstat irrevocabile „. Tandem *Cyprianus*, quem pro se haereticus appellat, praeter promissum uni *Petro* factum, Missionem uni illi datam agnovit, ut *Petrus* & promisso, & Missione ceteris omnibus Apostolis fuerit antelatus. En S. Doctoris hoc ipso loco, quem *Beza* objicit, verba: *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit*: Pasce oves meas. *Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas*. Viden? ut una *Cyprianus* sententiâ *Petri* primatum a Christi cum promissis, tum Missione repetat. En Ergo

damna-

damnatio *Bezae*, qui *Cyprianum* hac in re appellaverat: *ut recte* Cyprianus *explicat*. M. Quoniam *Schubertus*, immo (heu! pudor) etiam *Febronius Bezae* somnia refricare non verentur, clavesque non uni *Petro*, sed Apostolis omnibus datas fuisse contendunt, paullulum heic immorabor. „ Non nego, ut cum *Maldonato* loquar in Matth. cap. XVI. ceteros „ Apostolos suas etiam claves, idest ligandi „ solvendique potestatem habuisse, quemadmodum omnes veteres Auctores docent, dicentes claves omnibus datas fuisse; sed nego „ has, de quibus heic agitur, claves habuisse, & nego eas, quas habuerunt, quasque „ omnes semper Catholici vere quidem, sed alio „ tamen sensu claves appellarunt, in sacris „ usquam litteris claves vocari. Firmissimum „ etiam est argumentum, quod quum Christus „ aliis Apostolis infra Cap. XVIII. 18. & Joh. „ XX. 23. ligandi, solvendique potestatem dedit, nullam de clavibus mentionem fecit. „ Solus ergo *Petrus* eas claves habuit, quibus „ ita aperiebatur, ut nemo clauderet; ita claudebatur, ut nemo aperiret; sicut in domo „ etiamsi aut omnes, aut multi suas habeant „ claves, solus tamen Dominus & domi omnes; & secretas habet, quibus quum vult, „ ita claudit, ut nemo aperire; ita aperit, „ ut nemo possit claudere. Notavit hoc ipsum „ *Origenes* tractat. in Matth. I. Sed veram solidamque sententiam nimis subtiliter probando perdidit. Ait enim plus *Petro*, quam „ ceteris Apostolis concessum fuisse. Hoc bene.

Pro-

„ Probat, quia ceteris Apostolis dictum est; „ *quaecumque solveritis super terram, erunt* „ *soluta & in coelo, Petro* vero *quodcumque* „ *solveris super terram, erit solutum & in* „ *coelis*, quasi *Petrus* in omnibus coelis, alii „ Apostoli in uno solvendi potestatem adcepe- „ rint. Hoc nimis subtiliter „. Sed quod *Origenes* nimia subtilitate corrupit, alii Patres solidius tradiderunt. Illustris est *Optati* locus Lib.VII. *Tamen bono unitatis Beatus* Petrus, *cui satis erat, si, post quod negavit, solam veniam consequeretur, & praeferri Apostolis omnibus meruit, & claves Regni Coelorum communicandas ceteris* SOLVS *adcepit*. Nec praetereundus *Alexandrinus* Patriarcha *Eulogius* apud *Photium* Bibl.Cod.280. *Nec* Johanni, *nec alii cuiquam discipulo dixit Salvator*: Tibi dabo claves Regni Coelorum... *Sed* SOLI *Petro*. Hinc S. *Leo* M. ad *Viennensis* Provinciae Episcopos scribens Ep.X. ait: *Cui* (idest *Petro*) *quum* PRAE *ceteris solvendi & ligandi tradita sit potestas; pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est*. Idem tradit *Rhabanus Maurus* in Cap. XVI. Matth. Lib.V. caussamque praeterea, cur ita factum sit, nobis aperit. *Sed ideo*, inquit, *Beatus* Petrus, *qui Christum bona fide confessus, vero est amore sequutus*, SPECIALITER *claves Regni Coelorum & principatum judiciariae potestatis adcepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec peccatorum vinculis absolvi, nec januam possint Regni coelestis ingredi*. Cla-

(25) Claves regiminis in Ecclesia potestatem designant. Apoc. III. 7. eadem phrasis occurrit ad supremam significandam auctoritatem, qua *David* primum figurate, Christus deinde ornatus est. *Et Angelo* Philadelphiae *Ecclesiae scribe: Haec dicit Sanctus & verus qui habet clavem* David: *qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Quae quidem verba promissis, de quibus agimus, non adversantur. Quum enim summus Pontifex clavibus utitur a Christo adceptis, ipsemet Christus illius, qui visibile Ecclesiae caput constitutus est, ministerio aperit, aut claudit. M. 25

Alia in Scripturis praesto sunt loca, quae clavibus principatum denotari ostendant. Sic apud *Esaiam* Cap. XXII. 22. *& dabo clavem domus* David *super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*, ideft supremam illi in Regno *David* potestatem dabo. ,, Super humerum autem
,, dixit, quum claves non super humerum,
,, sed in zona gestari soleant, duas, ut saepe
,, in Scriptura fieri solet, confundens metapho-
,, ras idem significantes; alteram clavium, al-
,, teram sceptri, quarum utraque summum de-
,, clarat imperium: quia ergo sceptrum super
,, humerum gestari solet, dixit se claves do-
,, mus *David* super humerum ejus positurum:
,, sicut apud eumdem *Isaiam* Cap. IX. 6. *cujus*
,, *principatus super humerum ejus*. Eodem sen-
,, su dicitur Christus Apoc. I. 18. habere claves
,, mortis & inferni, ideft Dominus esse vitae
,, & mortis ,,. Haec ex *Maldonato* prompta

a me

a me sunt ; ideo autem addita ut *Schubertus* refellatur, qui §. 83. clavibus jurisdictionem significari inficiatur. Sed nempe ille claves *Petro* promissas nihil aliud esse, quam remittendorum, retinendorumque criminum auctoritatem falso sumit, locum *Matthaei* XVI. cum altero *Matthaei* loco XVIII. perperam confundens, ac praeterea nihil jurisdictionis huic facultati inesse deblaterat, eam ad id unum cum *Calvino* redigens, ut *quis doceat, & ex verbo Dei demonstret, quisnam habeat peccatorum remissionem, & gratiae Dei certus esse possit*. Verum stultissimum hoc *Calvini* decretum Theologi nostri disertius confutarunt, quam ut refelli heic a nobis debeat.

26 (26) Adcipe celeberrimi *Meldensis* Episcopi *Bossueti* in sermone, quem in *Gallicani* Cleri conventu a. MDCLXXXII. habuit, commentarium : „ Tu, cui fidei praedicatio singulari quodam privilegio credita est, claves quoque habebis, quae gubernationis auctoritatem designant... Omnia hisce clavibus subjiciuntur : omnia, fratres mei, Reges & populi, Pastores, & greges : laetanti id animo edicimus, unitatem enim amamus, nostramque obedientiam nobis gloriae ducimus „. Venerabilis *Beda* apud S. *Thomam* in *catena aurea* duas hasce claves, quae unum idemque ministerium, unam eamdemque gubernationis potestatem significant, ita explicat : *Tibi dabo claves Regni Coelorum, idest, discernendi scientiam, potentiamque, qua dignos debeas in regnum recipere, & indignos ab eo excludere*. S. Jo-

S. *Johannes Chryfoftomus* Hom.LV. aliam horum verborum interpretationem indicat, harum nempe clavium altera remittendorum peccatorum, quo coeli aperiuntur, altera retinendorum, quo coeli claudantur, poteftatem defignari. Quae quidem interpretatio ad litteralem fenfum propius adcedere videtur, iifque Apocalypfis verbis III. 7. confirmari poteft: *qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*. M.

(27) Haec poteftas, inquit citato fermone *Boffuetius*, & in omnes & fine ulla exceptione uni delata plenitudinem infert. Uni porro delatam orationis feries oftendit. ,, Nam ,, (pergit *Boffuetius*) unus heic uni loquitur, ,, Jefus Chriftus Dei Filius *Simoni Jonae* filio, ,, Jefus Chriftus, qui vera eft petra, ac fua ,, virtute firmus, *Simoni* qui nonnifi vi fibi a ,, Chrifto collata petra eft. In omnes quoque ,, & fine ulla exceptione confertur. Haec enim ,, vox *quodcumque* per fe fe infinita eft, nec ul- ,, lum illi modum ftatuit Chriftus ,,. Ad hanc infirmandam promiffionem objici folet S. *Auguftinus*, qui Serm. CXLIX. de verb. Apoft. X. num 7. ait: *quod illi uni datum eft, Ecclefiae datum eft*. Obfervo autem primo, S.Doctorem fateri, claves ea promiffione: *tibi dabo claves Regni Coelorum* uni tantummodo *Petro*, non ceteris Apoftolis datas fuiffe: *quod illi unum datum eft*. Secundo animadverto, aliquid conflictus in eo *Auguftini* effato fe fe primo adfpectu offerri; fi enim claves uni *Petro* datae funt, quei datae *Ecclefiae* dicuntur; fi *Ecclefiae*, 27

quei

quei uni *Petro*? *illi uni*. Verum tota haec dictorum repugnantia evanescit, ut primum *Petrus* Ecclesiae caput agnoscitur, quemadmodum ab *Augustino* agnoscebatur, qui de *Romana* Ecclesia ait Ep. XLIII. al. 162. *in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus*. Quod enim in totius corporis beneficium capiti datur, toti datum corpori censetur. Tertio adnotandum, duas Christi promissiones heic ab *Augustino* in unam cogi, illam scilicet, quae *Matth. XVI.* uni *Petro* tamquam Ecclesiae capiti facta est cum Apostolicae potestatis plenitudine, eamque, quae *Matth. XVIII.* omnibus simul Apostolis facta est, sanctumque Doctorem, dum primam explicare adgreditur, alteram ante occupare. *An non*, inquit, *sunt ipsae in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur*? Et illud animadverto eodem loco a S. *Augustino Petrum* dici Ecclesiam repraesentasse; quod sane ad *Romanae* Sedis praestantiam, seu (quod ait idem *Augustinus*) *principatum* designandum sufficeret: *Personam* Petrus *gestabat Ecclesiae* (*Ep. XLIII. & eod. Serm. CXLIX.*) Quei enim Ecclesiam repraesentabat, nisi tamquam illius caput? quum inauditum plane sit, totum corpus ab inferiore aliquo membro, nisi ad id speciatim deputatum fuerit, repraesentari. Non haec ex arbitrio fingimus; sed ex ipso *Augustino* adcepimus, qui (*in Joh. Evang. Tract. CXXIV. n. 5.*) ait: *Cujus Ecclesiae* Petrus *Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam*. M. De *Augustini* mente plura invenies apud cl. de *Simeonibus de Rom. Pon-*

Pontif. judiciar. potest. T.I. Cap. II. §.4. & Auctorem *Antifebronii T.I. Diss.I.cap.*4.§.3.

(28) Hisce verbis singularis capitis Apostolorum Missio continetur; praestantur quoque, quae de clavibus dandis, atque Apostolicae potestatis plenitudine fuerant uni illi promissa. „ *Petrus*, inquit celebris *Meldensis* Episcopus „ in sermone antea indicato, jubetur primo *plus* „ *ceteris Apostolis amare*; *pascere* deinde, ac „ regere omnia, & agnos & *oves*, filios, & „ matres, ipsos quoque Pastores: Pastores cum „ populis, oves cum *Petro* in eo Christum Je- „ sum venerantur, fatentes etiam, majorem „ ab eo amorem jure postulari, quoniam ma- „ jori & honoris, & dignitatis gradu donatur; „ *primum* vero ex nobis sub tanti Magistri di- „ sciplina constitutis ceterorum omnium servum „ esse caritatis officio debere „. M. Et heic cum *Schuberto* mihi res erit, eoque confutato *Febronii* quoque incredibilis in hoc *Johannis* loco interpretando perversitas retundetur. Tria ut a nobis ostendantur, *Schubertus* petit: primum est, soli *Petro* pascendi curam heic deferri; secundum, hoc pascendi officium auctoritatis esse munus, ac principatus; tertium, universam Ecclesiam in ovibus pascendam *Petro* committi. Jure haec postulat. Verum nonne haec tria a nostris Theologis demonstrata centies fuerunt? Inter hos si *Italicam* callet linguam, adeat *Antifebronium Caesenatis* editionis *Tom.I. Diss.I.cap.*5.; sibi abunde satisfactum intelliget. Interea quae ipse in singula illa capita animadvertit, paucis dispungam. Ad primum quod adti- 28

adtinet, *nos tibi*, inquit p. 215. *opponimus, idem pascere alibi & aliis doctoribus demandari, ideoque* Petro *per haec verba nihil praecipui traditum esse*. Ego vero, *Schuberte*, ex te quaero, ubinam alii doctores a Christo pascere oves suas universas jussi sint? (Sumere enim licet, quod paullo post efficiam, ovium nomine heic Ecclesiam designari). Invenies Episcopos, Presbyteros quoque pascere jussos, sed gregem suum: *Pascite, qui* IN VOBIS *est, gregem* (1. Petr. V.), non universam plane Ecclesiam; Apostoli ipsi pastores fuere, sed inter oves Christi *Petro* commissas numerandi. Quid ergo pastores objicis? Nisi alios a *Petro* constitutos omnium ovium, atque adeo Apostolorum Pastores designaris, nihil eviceris. Quod enim alii Pastores & haberi debeant, & sint, soli *Petro* universalis Pastoris munus non fuisse hoc loco delatum, numquam efficiet. Soli tamen *Petro* pascendi officium tunc impositum fuisse vel ipsa Evangelici textus series palam facit. Quid enim? Ne ulla haec *Petri* potestas ambiguitate eluderetur, aut perverse in alium derivaretur, poteratne Christus diligentius praecavere? Non modo *Simonem* proprio nomine appellat, sed & patris mentionem injicit, quemadmodum *Matth.XVI.* quum se super eum Ecclesiam aedificaturum pollicitus fuerat: *Simon Johannis*. Ter ex illo sciscitatur, an ipsum diligeret, immo an *plus* ceteris Apostolis; respondenti *Petro*, suumque amorem testanti bis injungit, ut in tanti amoris argumentum pascat agnos illius, ac tertio tandem *Pasce*, inquit, *oves meas*;

meas; tum addit: *Amen amen dico tibi, quum esses junior, cingebas te &c.* Haec omnia sermonem cum uno *Petro immediate* & *directe* habitum palam faciunt; praesertim quum Christus, si ad Apostolos pascendi curam *immediate* & *directe* referri voluisset, nullo negocio potuisset, plurali verbo uti: *pascite*. Quid? quod ea interrogatio, *diligis me plus his?* satis ipsa per se se prodit, aliquid praemii ceteris nequaquam communis voluisse Christum vehementiori *Petri* amori rependere. Consentiunt Patres. Audiamus S. *Hilarium* (Lib. VI. de Trinit. num. 37.) *Per id quoque a Domino post tertiam tentationis purgationem infirmitatum*, pasce oves meas, *ter meritus audire, qui cunctorum Apostolorum silentio Dei filium revelatione patris intelligens, ultra humanae infirmitatis modum supereminentem gloriam beatae fidei suae confessione promeruit*. In eamdem sententiam S. *Ambrosius* loquitur in Luc. lib. X. *Non est dubium credidisse* Petrum, *& credidisse, quia dilexit; dilexisse, quia & credidit. Unde & contristatur, quia & tertio interrogatur*: amas me? *Is enim interrogatur, de quo dubitatur. Sed dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in coelum amoris sui veluti vicarium relinquebat.... Ideo quia solus profitetur ex omnibus*, OMNIBUS ANTEFERTUR. Sanctus quoque *Leo* Serm. 1. de adscens. *in illis*, inquit (diebus) *per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus Sanctus, Beato Apostolo* Petro SUPRA CETE-

ROS *post Regni Claves* OVILIS DOMINICI CVRA MANDATVR. Sed ne Latinos tantum Patres appellem, *Chrysostomi* verba recitabo ex Lib. II. *de Sacerdot. Illum auctoritate praeditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos* LONGE PRAECELLERE: Petre, *enim ait*, *amas me plus his?* Alterum illud, quod *Schubertus* ajebat, Pastoris officium auctoritatis ac jurisdictionis munus non esse, Patribus omnibus, qui *Petri* principatum hinc arguunt, penitus adversatur; tum etiam ab ipso *Johanne* satis refellitur; in recitanda enim Christi sententia *Graeco* verbo ποιμαινειν usus est, quod & pascere & regere significat, ut a *Roffensi* (artic. XXV. contr. Luth.) *Bellarmino* (l. 1. de Rom. Pont. cap. 15.) aliisque ex sacris Scripturis, ipsisque profanis Scriptoribus luculenter est demonstratum. At urget *Schubertus*, p. 216. ,, Quum munus pascendi *Petro* traditur, non ,, statim concludere licet, omnia jura & officia illi tradita esse, quae pascendi vocabulo ulla ratione significari possint. Quale ,, enim hoc foret scripturam interpretandi ,, principium, vocabula impropria in omni sua ,, possibili extensione & significatu adcipienda ,, esse? Quaenam sit determinata ejusmodi vocis signficatio, tum ex natura rei, tum ex ,, aliis locis, ubi de eodem argumento proprie agitur, demonstrari debet. At vero ,, *Petrus* erat Apostolus, ideoque doctor Ecclesiae. Ergo pastorem agere jubetur, ut ,, decet Ecclesiae doctorem, docendo nimirum, ,, hortando, vigilando, sacramenta admini-

,, stra-

„ ſtrando &c. Deinde quum Chriſtus manda„ ta proprie exponit, quibus Apoſtoli in of„ ficio ſuo conſtituebantur, inquit: *Reddite* „ *mihi diſcipulos tum baptizando, tum docen„ do* Matth. XXVIII. 19. Ad hoc igitur mi„ niſterium totum munus paſcendi redit. „ Haec ille. Verum quoniam ad unum Apoſtolicum munus omne paſcendi officium redigit, illud primum mihi explicari velim, quorſum Chriſtus unum *Petrum* munere fungi Apoſtolico juſſiſſet, aliis adſtantibus Apoſtolis, idque in ſingularis, ac vehementioris cujuſdam amoris argumentum? praeſertim quum illum, ceteroſque Apoſtolos in Apoſtolatus officio antea confirmaſſet Joh. XX. 21. iis verbis: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Deinde qui *Schubertus* ſolis docendi, & baptizandi, ſeu Sacramentorum adminiſtrandorum muneribus Apoſtolatum contineri comprobabit? Profecto, ut recte monuit *Bellarminus* l. c. „ actus pa„ ſtoralis non eſt tantum praebere cibum, „ ſed etiam docere, reducere, tueri, praeeſ„ ſe, regere, caſtigare? Quid? Paſtores ovium „ num ſolum pabulum illis praebent? nonne „ etiam regunt, & baculo cogunt, ut pareant? „ Hinc videlicet in Scripturis paſſim paſce„ re adcipitur pro eo quod eſt regere, ut „ Pſ. 2. ubi legimus: *Reges eos in virga fer„ rea*. In Hebraeo: *paſce eos*. Et ſane qui „ paſcuntur in *virga ferrea*, veriſſimam po„ teſtatem in paſtore ſuo eſſe negare non poſ„ ſunt. „ Sed ut ad Chriſti inſtitutum argumentando propius adcedam, ſignificat ea paſcen-

jetanum in tractatu *de Rom. Pontif. institut. cap.* 10. citatus *Valentia* scite observat *p.* 250. „ „ Dubium nullum est, quin Christus ita diligenter commendans *Petro* oves suas voluerit ab eo satis intelligi, de quibus ovibus loqueretur. At nisi de omnibus, quaecumque essent suae, sit loquutus; non satis potuit *Petrus*, de quibusnam diceret, intelligere. Confitendum est igitur, illum de ovibus suis omnibus in eo loco loquutum esse. Non enim de iis, aut illis determinate, loquutus est; nec vero de nullis; nec, si indeterminate & confuse de aliquibus loquutus esset, satis illae a *Petro* potuissent distincte cognosci. „ Probe & hoc prisci Patres cognitum exploratumque habebant. Quare Chrysostomus (*hom.* 55. *in cap. XVI. Matth.*) *universo orbi* Petrum *a Christo praepositum*, *&* *in XXI. Cap. Joh. orbis terrarum curam illi demandatam* ait; *totius Ecclesiae gubernacula ei tradita* S. *Maximus* fatetur (*hom.* 3. *in nat. S. Petri*); *totius orbis curam*, *Christo Domino delegante a* Petro susceptam *Gelasius* scribit; *totius orbis ovium praefecturam illi commissam Theophylactus* (*in cap. XXI. Joh.*) adserit; *Arator* vero Subdiaconus de S. *Petro* canit (*Hist. Apost. lib. I.*)

.... *nec deserit artem*
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit Agnus,
Quas passus salvavit oves, TOTVMQVE PER ORBEM

P 3 *Hoc*

Hoc auget Pastore gregem, quo munere summus
Surgit.

Nec minus diserta sunt Patrum Apostolos ipsos *Petri* curae concreditos ajentium testimonia. S. *Gregorii Nazianzeni*, (*in orat de modo in disput. servand.*) haec sunt de *Petro*: *Vides, quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus, & excelsis atque electione dignis hic petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta* (ipsos scilicet Apostolos) *fidei suae credita habeat*. Quid vero *Bruno Astensis hom. in Vig. S. Petri & Paulli*? *Dicit ei: pasce oves meas. Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur* Petrus *agnos, pascit & oves; pascit filios, pascit & matres, regit & subditos, regit & Praelatos.* OMNIUM *igitur Pastor est, quia praeter agnos, & oves in Ecclesia nihil est.* Si *omnium*, ergo & Apostolorum Pastor *Petrus* erat: nam idem est dicere, in *Ecclesia* nihil esse praeter eos, quos *Petrus* regeret, ac Apostolos *Petro* fuisse commissos, quum eos Ecclesiae fuisse membra non sit dubitandum. Infinitus sim, si omnia Patrum hac de re effata persequi velim. Unus addatur *Leo* Serm. III. in Ann. Assumpt. suae: *Et tamen de toto mundo unus* Petrus *eligitur, qui & universarum gentium vocationi, &* OMNIBUS APOSTOLIS, *cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint,* OMNES *tamen proprie regat* Petrus.

trus. Quid clarius? Non his terretur *Schubertus*. Quaerit ergo, cur duodecim vocati fuiſſent Apoſtoli, ſi ſolus *Petrus* omnes curare debuiſſet oves. Reſponſum habeat, praedicationis, & Apoſtolatus munus ab Eccleſiae gubernatione diverſum plane eſſe; ad illud plures oportuit deſtinari, ut promptior eſſet feliciorque gentium ad noſtra ſacra traductio; haec unius eſſe debuit, ut Eccleſiae unitas ſervaretur. Quare S. *Auguſtinus* Serm. XLVI. cap. 13. *in ipſo*, inquit, Petro *unitatem commendavit*. *Multi erant Apoſtoli, & VNI dicitur*: *paſce oves meas*: quod idem ita S. *Bernardus* exponit lib. II. de conſ. cap. 8. *Et forte praeſentes ceteri condiſcipuli erant, quum committens uni, unitatem commendaret in uno grege & paſtore*. *At res*, inquit *Schubertus* p. 217. *plane impoſſibilis erat, omnes & ſingulas oves ab uno & ſolo* Petro *curari*. Addat *Schubertus per ſeſe*; verum dicet: at ut omnium & ſingularum ovium Paſtor a Chriſto *Petrus* conſtitueretur, neceſſe non erat, ut omnes & ſingulas ipſemet *immediate* curaret; ſatis erat, ut per *fratres*, ceteros, inquam, Apoſtolos, & Epiſcopos ſibi obnoxios curam illarum ac ſollicitudinem gereret. Inſtat tamen *Schubertus*: *quae igitur fuiſſet ratio, illis committendi, ut hoc agerent nomine* Petri? *Cur non potius ipſius Chriſti nomine immediate, qui eſt dominus Gregis ſui, qui cum Apoſtolis ſuis erat, & qui per eos ubique operabatur*? Rationem ex SS. *Auguſtino* & *Bernardo* jam adtuli, unitatis nempe adſerendae,

 & con-

& conservandae caussa. Quum enim Ecclesia una, & unitas ipsius adspectabilis esse debeat, unumqne propterea pastorem, qui gregi universo praesit, omnesque in unitate contineat. visibilem exigat, oportuit ut Christus a nobis abscessurus huic gregi visibili Pastore post se relicto, omnibusque praefecto prospiceret. Licet ergo Episcopi plures ab Apostolis instituti suis quique in dioecesibus suas oves diligentissime custodirent, immo omnium Ecclesiarum Apostoli quum viverent, sollicitudinem habuerint, unus tamen *Petrus* uni ovili Pastor praeesse debuit, quum nisi sub uno Pastore unum esse ovile possit. Necesse jam non est quae de *Petro* Judaeorum, & *Paullo* gentium Apostolo *Schubertus* addit, pluribus refellere. Omnes enim intelligunt, *Haelmstadiensem* Professorem extra chorum saltare, quum divisio, de qua *Paullus* ipse ad *Gal.* II., ad fidei praedicandae munus, provinciasque, quibus a *Petro*, & *Paullo* nuncianda fuerat, pertineat; nos de *Petri* in *Paullum*, ceterosque Apostolos auctoritate agamus bono unitatis a Christo constituta, cui certe divisio illa adeo non officit, ut altera ab altera disiunctissima sit, maximeque diversa.

29 (29) *Rigaltius*, quem *Lombertus* in suis ad hunc locum adnotationibus appellat, aliique critici opinati sunt, verbum *illum*, & quod paullo post sequitur, *illi* in *Cypriani* textum ab extranea manu illatum fuisse. Verum haec verba cum aliis quibusdam, quae iidem Critici erasa vellent, in antiquo monumento ex-

stant,

ſtant, quemadmodum in *Maurinorum*, quam ſequuti ſumus editione leguntur, in epiſtola, inquam *Pelagii* II. ſub ſexti ſaeculi finem anno ut celebris *Pagius* conijcit DLXXXVI. ad *Iſtriae* Epiſcopos ſcripta. Quare undecim abhinc retro ſaeculis *Cypriani* habita ſunt. Exſtant quoque in veteri *Marcelli* II. Codice, quo *Onuphrius* (*Panvinius*) uſus eſt. Nihil praeterea cauſſae eſt, cur ea S. Martyri ſuppoſita credantur, *Cypriani* enim ſtylo, atque hujus libri, aliornmque ejus Scriptorum ſententiis ſunt adprime conſentanea. Nam ep. LXIX ad Florent. Pupian. ait: *loquitur illis* Petrus, *ſuper quem aedificanda fuerat Eccleſia*. Id ipſum in illis, quas fervente inter ſe, ac *Stephanum* R. Pontificem controverſia dedit, litteris iterat. Exempli cauſſa in epiſtola LXXI. in qua certe *Stephano* minime parcit, fundatam eſſe ſuper *Petrum* Eccleſiam diſerte adfirmat: *Super quem fundavit Eccleſiam ſuam*. Nulla igitur ratione cogimur, verba, de quibus diſſerimus, veluti adſcititia rejicere. Et illud addamus, quod ea *Pelagii* II. aevo, a *Cypriano* vere profecta habita ſint, maximo nobis eſſe argumento, quo illa non ſolum *Cyprianica*, ſed etiam Eccleſiae dogmatibus plane conſentanea fuiſſe tunc credita doceamur. M.

Sunt qui totum illud comma: *ſuper illum unum aedificat Eccleſiam ſuam*, *&* *illi paſcendas oves ſuas mandat* omnino rejiciant. Hos *Maſſilienſis* Epiſcopi adnotatio ſatis refellit. Conferri tamen poterit egregia de hoc argumento epiſtola, quae in *Trivultianis* a. 1726. ephe-

ephemeridibus legitur *mensis Octobris artic. XCII. pag.* 1877. *seqq.* At quod ad *Oxoniensem* editorem *Fellum* adtinet, qui ea verba *super unum aedificat Ecclesiam suam*, expuncto *illum* retinuerit, excusari satis non potest. Nam sive cum codicibus a *Fello* indicatis legas *super unum*, sive cum *Pelagio* II. & Codicibus a *Pamelio* collatis legas *super* ILLVM *unum*, nonnisi *Petrum* intelligere *Cyprianus* potuit; quid enim aliud est, quod *Cyprianum* scripsisse omnes consentiunt, *eidem* (Petro) *post resurrectionem dicere: Pasce oves meas*, quam *super unum fundare Ecclesiam*? Quare non video, cur criticis de expungenda ea vocula *illum* tantopere fuerit laborandum. Mihi vero magis *Cyprianicum* videtur, si ea addatur, quam si deleatur. Nam quemadmodum claritatis gratia *Cyprianus* scripsit: *& iterum* EIDEM *post resurrectionem suam dicit: pasce oves meas*, licet, si nomen *eidem* omittere S. Martyri placuisset, dubitari non posset, quin ad *Petrum* ea referrentur; ita *illum Cypriani* in re maximi momenti perspicuitas altero in loco poscere quodammodo videtur.

30 (30) His *Cypriani* verbis *Bossuetii* commentarius, quem supra reddidimus, luculentissime confirmatur. Si enim ovium nomine nonnisi simplices Fideles intelligendi essent, falsum esset, curam earum pascendarum uni illi fuisse concreditam; quum & ipse *Petrus* Episcopos 1. *Petr. v.* 2. ad pascendum gregem hortatus fuerit: *pascite, qui in vobis est, gregem.*

Oves

Oves sunt ergo Pastores ipsi, qui, ut *Bossuetius* ajebat, licet si cum populo conferantur, Pastores sint, cum *Petro* tamen comparati oves sunt. M.

31 (31) Ligandi scilicet & solvendi potestatem, ut quae sequuntur, ostendunt. Atque haec quidem quod ad ordinis adtinet potestatem, par est in omnibus Episcopis, non tamen aequalis est quod ad jurisdictionis amplitudinem, & subditorum, in quos exerceri ea possit, multitudinem spectat. Supra ex *Bossuetio* monuimus, potestatem Apostolis datam, *ut quae cum pluribus communicata fuerit, ex ipsa sui divisione quodammodo circumscribi*; contra potestatem Capiti *traditam, quum & in omnes & sine ulla exceptione uni delata sit, plenitudinem importare. Hinc*, inquit eodem loco Magnus hic Praesul, *veteres nostri* Parisienses *doctores, quos cum honoris praefatione nominare possem, unanimi consensione in S.* Petri *Cathedra Apostolicae potestatis plenitudinem agnoverunt. Definita, & constituta res est. Itaque* (pergit idem Antistes) *mysterium patet. Eamdem omnes potestatem, ex eodemque omnes fonte adcipiunt; non tamen eodem omnes gradu, neque eadem cum amplitudine. Christus enim quemadmodum ipsi libet, sed ea tamen, quae ad suae Ecclesiae unitatem maxime faciat, ratione sese nobiscum communicat*. M.

32 (32) En Apostolica Missio, qua Apostolos Christus suos ministros instituit, & necessaria ad suum ipsorum munus obeundum auctoritate donat ac potestate. Audiamus & heic *Bos-*

Bossuetium in sermone alias indicato. *Idem; qui hanc* Petro *potestatem largitur, eam omnibus quoque Apostolis suomet ore impartitur.* Sicut misit me Pater, ita, *inquit*, mitto vos. *Nec potestas firmior, nec Missio magis immediata fingi potest. Itaque in omnes aequaliter insufflavit, hocque flatu eumdem omnibus spiritum dedit.* M.

33 (33) Haec dicens Christus insufflavit; *insufflando* autem, ut S. *Augustinus* ait *Tract. CXXI. in Cap. XX. Joh. n. 4. significavit, Spiritum Sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed & suum.* M.

34 (34) Clara haec verba sunt, *& verbis tam perspicuis*, inquiunt Tridentini Patres, *potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et* Novatianos *remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam haereticos explosit atque damnavit.* Praeterea, ut iidem Patres tradunt, *quamvis absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium vel adnuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed adinstar actus judicialis, quo ab ipso velut a Judice sententia pronunciatur.* M.

35 (35) Haec impium evertunt *Lutheri* dogma, qui ne in Presbyteris Fidelium a peccatis post Baptismum perpetratis absolvendorum potestatem agnosceret, eo *Johannis* loco: *quorum*

rum remiseritis peccata &c. de Baptismi conferendi, aut adnunciandi Evangelii potestate agi docebat. Nullum certe peccatum aut baptismate aut Evangelii praedicatione retinetur. Vide *Bellarminum*. M.

(36) Unione membrorum cum capite unitas manifestatur. Post haec verba *ut unitatem manifestaret*, *Manutii & Pamelii* editiones addunt: *unam Cathedram constituit*. In *Balutii* editione a *Benedictinis* perfecta ea desunt. Puram tamen *S. Cypriani* doctrinam exhibent; unum enim ille Episcopatum, unamque Cathedram, cujus unitas a capite dimanabat, tantummodo agnoscebat. Audi quid de unica cathedra scripserit epistola XI. ad Plebem de quinque Presbyteris schismaticis factionis *Felicissimi*: *Deus unus est*, *& Christus unus*, *& una Ecclesia*, *& Cathedra una super Petram Domini voce fundata*. M. 36

(37) Quum unitas in omnium membrorum unitate sita sit, habet ea suum in capite initium, suamque originem; omnia enim membra capiti coniuncta esse debent, per illudque inter se consociari. *Ecclesiastica auctoritas*, inquit Bossuetius serm. cit. *in unius persona primum constituta ea solum conditione diffusa est*, *ut ad suae unitatis exordium semper sit revocanda*, *omnesque*, *quibus traditur exercenda*, *eidem semper cathedrae se indissolubili vinculo adstrictos praestare debent*. M. 37

(38) *Romanae* Ecclesiae hostes mirum quantum his verbis abusi fuerint. *Simon Goulardus Genevensis* Minister (edidit is *Genevae* 38

vae MDXCIII. *Cypriani* opera) ea cum Apostolicae Cathedrae primatu conciliari nulla ratione posse contendit. Verum id demum est, *Cyprianum* reum facere, atque inepti in opinando conflictus insimulare. Primatum ille agnovit, & docuit; ait tamen *hoc fuisse & ceteros Apostolos, quod fuit* Petrus. Hoc ipso libro, atque adeo loco: *Primatus*, inquit, Petro *datur*. Quae illi fuit cum *Stephano* sane acerrima contentio, non eum ab hac sententia dimovit; etsi vero malae caussae patrocinium suscepit, non eam tamen veritatis, quam defenderat, atque Ecclesia praecipuis semper dogmatibus adscripsit, impendio propugnavit. Argumento sit ea, quam in hujus disceptationis aestu ad *Jubajanum* perscripsit, epistola, in qua potestatem *Petro* datam, (haec est *unitatis origo*), seorsum a potestate post Resurrectionem omnibus simul Apostolis collata exponit. *Nam* Petro, inquit ep. LXXIII. *primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in coelis, quod ille solvisset in terris. Et post Resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens: sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos. Hoc quum dixisset inspiravit & ait illis: Adcipite Spiritum Sanctum. Si cujus remiseritis peccata &c.* Ubi S. *Cyprianus* potestatem *Petro* concessam cum potestate Apostolis data minime confundit. Illa uni data est; nec divisione circumscribitur, plenitudinem igitur importat. Per eam Christus unitatis originem, seu

ſeu initium *inſtituit*, *&* *oſtendit*, & ſub oculos poſuit. Quid ergo iſta ſignificant: *Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod fuit* Petrus? Omnes Apoſtolos eodem Epiſcopali charactere, eademque ordinis poteſtate inſignitos fuiſſe. Quod ad hoc ſpectat, nullus inter eos aut principatui, aut diſcrimini locus. Verum juriſdictione pares non erant, volens enim Chriſtus unitatem inſtituere, ejuſque originem in uno collocare primatum *Petro* contulit, ut caput eſſet, membraque neceſſaria, quam habent, cum capite coniunctione, nonniſi unum idemque corpus efficerent. Satis eſt *Cypriani* verba legere, ut eum ita ſenſiſſe apertum fiat. *Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod fuit* Petrus, *pari conſortio praediti & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & Primatus* Petro *datur, ut una Eccleſia, & Cathedra una monſtretur*. M. Vide quae adnot. 41. dicturi ſumus.

(39) Qui Epiſcopali dignitati adnexus eſt, non ejus, qui Primatus fuerit. Hunc *Cyprianus* ipſo hoc loco excipit. *Primatus* Petro *datur*. *Pelagius* II. in epiſtola ad *Iſtriae* Epiſcopos haec verba veluti a *Cypriano* profecta recitat; nec ipſe *Rigaltius* etſi infenſo in primam Sedem animo erat, ejuſque auctoritatem labefactare quoad poterat, ſtudebat, illa tamen quum a. 1649. *Cypriani* opera ederet, praetermittere eſt auſus. M. 39

(40) Quae ſcilicet ad ordinem pertineret; nam juriſdictionis poteſtas eadem quae in capite, in membris eſſe non poterat: 40

qua-

quare Christus *Petro*, quum in eo unitatis originem constituit, illius plenitudinem impertiit. Hoc Christi institutum imitata Ecclesia est, dum praestantibus quibusdam gregis partibus capita, Patriarchis ac Primatibus positis, dedit; harum enim primarum Sedium Episcopi multo ampliore, quam minorum Ecclesiarum Episcopi, jurisdictione potiti sunt. Sic quum *Carthaginensis* Episcopus totius *Africae*, *Numidiae*, ac *Mauritaniae* Primas esset, S. *Cyprianus*, qui *Carthaginensis* Episcopus erat, Primatis in has Provincias jurisdictione praestabat. De omnibus tamen harum Provinciarum Episcopis dici poterat, *hoc esse & illos, quod erat S.* Cyprianus, *pari consortio praeditos & honoris & potestatis*, ejusdem nempe Episcopalis dignitatis, & potestatis ordini adnexae; dici tamen non poterat, eos omnes Primatis jurisdictione in tribus hisce Provinciis frui. *Quod si* Cyprianus, cum docto Benedictino D. *Prudentio Marandio* Praef. in oper. S. Cypr. concludam, *dum par consortium honoris & potestatis inter Episcopos agnoscit, non idcirco delatam sibi jure Ecclesiastico auctoritatem abjecit, cur* Petrum *ejusque successores auctoritate ab ipso Christo tradita spoliasse videatur?* M.

41 (41) En caussam discriminis, quod *Petrum* inter ceterosque Apostolos in jurisdictionis potestate intercedit: unitas origo est, & initium; *sed exordium ab unitate proficiscitur*. Haec phrasis, cui profundus sensus inest, duobus potest explicari modis, utroque ad confir-

firmandam Apoſtolicae Sedis praeſtantiam aptiſſimo. Primo explicari poteſt: *unitas origo eſt, & initium Epiſcopalis poteſtatis*; nempe iſthaec poteſtas in uno coepit, deinde cum aliis eſt Apoſtolis communicata. Ita habuit illa ſuam originem, exordiumque in S. *Petro*, qui unitatis nomine heic deſignatur; per illum enim unum coepit Chriſtus Epiſcopatum inſtituere. Hinc illi Primatum dedit: *Et primatus* Petro *datur*. Quid enim erat, uni illi, quod toti deinde Epiſcopali corpori impertiendum erat, initio largiri, niſi hunc ei Primatum donare? Ac primatus quidem iſte neceſſarius erat, *ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtraretur*. Alter ſenſus non minus textui conſentaneus, qui huic phraſi tribui poteſt, ejuſmodi eſt: *Exordium ab unitate proficiſcitur*; Chriſtus nempe quum Epiſcopalem poteſtatem inſtituere vellet, a deſignanda unitate initium fecit conſtituto capite, veluti vinculo, quo ea conflatur, & centro, in quod omnia coniungantur & confluant. Ita *Petro Primatum dedit*, eum ad capitis evehens dignitatem; quod quidem ea de cauſſa fecit, *ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtraretur*. Duabus iſtis interpretationibus eaedem veritates continentur, nec dubitandum, quin utramque S. *Cyprianus* ſpectarit. M. Ad primae interpretationis quod adtinet veritatem, eam plures *Romani* Pontifices tradiderunt. *Innocentius* I. ep. II. ad *Victricium* ait: *incipiamus igitur, adiuvante Sancto Apoſtolo* Petro, *per quem Apoſtolatus in Chriſto coepit exordium*. Conſentit S.

Leo ep. X. Quesn. edit. *Hujus muneris sacramentum ita ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo* Petro, *Apostolorum summo*, PRINCIPALITER *collocaret, ut ab ipso* QVASI QVODAM CAPITE *dona sua velut in corpus omne diffunderet*. Id etiam pro certo habuit *Caesarius Arelatensis*, qui *Symmacho* Papae ep. XIV. n. 2. ita scripsit: *sicut a persona Beati* Petri *Apostoli Episcopatus sumpsit exordium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat*. Sed antiquiorem demus Patrem, eumque Graecae Ecclesiae ornamentum, *Gregorium*, inquam, *Nyssenum*. Haec ille *adversus eos, qui castig. aegre fer. Nihil falsi, aut mendacii scriptum est in Evangelio, neque Christi praedictio exitum fallacem habet*. PER PETRVM EPISCOPIS DEDIT (Christus) CLAVES CAELESTIVM HONORVM. Eat nunc *Febronius*. & quemadmodum *T. III. p.* 153. garrit, neget loqui Patres *de fonte, principio, atque dono potestatis Episcopalis*. Conferat horum dicta cum *Massiliensis* Antistitis verbis, & vel hunc inficietur (quod stulti hominis esset, aut certe ignarissimi) loquutum *de fonte, principio, atque dono potestatis Episcopalis*, vel illos quoque Pontifices, ac Patres *de fonte, principio, atque dono potestatis Episcopalis* loquutos fuisse fateatur. Haud equidem existimarim, futurum aliquem, qui hinc *Petrum* quidem *primum tempore*, inter Apostolos Episcopali jurisdictione insignitum fuisse conijciat, sed non *pri-*

primum dignitate, quam omnino *parem* cum illis habuerit. Nam nisi quemadmodum *tempore primus* inter Apostolos Episcopus, ita & *potestate* inter illos *primus* ac praestantior *Petrus* fuisset, nec Christus in eo *principaliter* hujus muneris Sacramentum collocasset, quod S. *Leo* ajebat; nec *Caesarius* ex uno temporis principatu id esse Romani Pontificis, *ut disciplinis competentibus singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat*, nisi perperam falsoque collegisset; nec (ut ad *Cyprianum* nostrum redeam) finem Christus sibi praestitutum unitatis in *Petro* formandae, conservandaeque adsequutus fuisset. Quid enim ad hanc unitatem faciat Primatus temporis, nisi honoris, & potestatis Primatus adcesserit; quo qui primus tempore est, ceteros in officio contineat, eosque uni sibi obnoxios faciat?

Altera illa *Massiliensis* Praesulis interpretatio clarior est, quam ut confirmatione indigeat.

Ceterum ut quae hactenus a *Massiliensi* Episcopo dicta sunt de inaequali Apostolorum cum *Petro* comparatorum jurisdictione (nam de pari omnium quod ad ordinem adtinet, potestate nulla potest esse dissensio) melius intelligantur, recolenda sunt *Cypriani* verba:
„ Loquitur Dominus ad *Petrum*: *Ego dico ti-*
„ *bi*, inquit, *quia tu es* Petrus, *& super*
„ *hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, &*
„ *portae inferorum non vincent eam. Et tibi*
„ *dabo claves Regni coelorum; & quae liga-*
„ *veris super terram, erunt ligata & in coe-*
„ *lis; & quaecumque solveris super terram,*

 „ *erunt*

„ *erunt soluta & in coelis*. Et iterum eidem
„ post Resurrectionem suam dicit: *Pasce oves*
„ *meas*. Super illum unum aedificat Ecclesiam
„ suam, & illi pascendas mandat oves suas.
„ Et quamvis Apostolis omnibus post Resur-
„ rectionem suam parem potestatem tribuat
„ & dicat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto*
„ *vos: adcipite Spiritum Sanctum; si cujus*
„ *remiseritis peccata, remittentur illi; si cu-*
„ *jus tenueritis, tenebuntur*. Tamen ut unita-
„ tem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab
„ uno incipientem sua auctoritate disposuit.„

Viden? ut duo his verbis *Cyprianus* optime coniungat, potestatem, quam Christus *Joh. XX.* Apostolis omnibus dedit, utique parem, & eam, quam *Matth. XVI. Petro* promiserat, ac primum *Joh. XXI.* impertiit multo eminentiorem, *unitatis originem ab uno incipientem sua auctoritate disponens*. Par illa quum fuerit, *hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit* Petrus, *pari consortio praediti & honoris & potestatis*, si honorem & potestatem adtendamus, quae Apostolis collata fuit verbis ex Joh. XX. capite a S. *Cypriano* recitatis: *sicut misit me Pater &c. si cui remiseritis &c.* Hinc tamen falso quis colligat, *hoc fuisse & ceteros Apostolos, quod fuit* Petrus *pari consortio praeditos & honoris & potestatis*, si verba ex *Matth. XVI.* & *Joh. XXI.* capite consideremus: *Loquitur Dominus ad* Petrum: *Ego dico tibi, quia tu es* Petrus &c. *Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce &c.* Minime vero. Haec verba quum *exordium ab uni-*

unitate proficisci, ut Ecclesia una monstretur, aperte indicent, ampliorem altera potestatem uni *Petro* concessam significant. An vero pugnat, parem *Joh. XX.* Apostolis potestatem datam fuisse, *Joh. XXI.* praestantiorem *Petro*? Nemo sane id dixerit. Nullus quoque conflictus igitur est *Cypriani* parem Apostolis cum *Petro* potestatem ex *Joh. XX.* capite adferentis, majorem *Petro* ex *Joh. XXI.* capite tribuentis, neque alterius dicti veritas alterius sententiae veritatem infringit. Huc spectat illud S. *Leonis* M. ep. XII. al. LXXXIV. ad *Anastas*. *Inter beatissimos Apostolos in similitudine bonoris fuit quaedam discretio potestatis, & quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praemineret*. Propius ad *Cypriani* sententiam *S. Hieronymus* l. 1. adv. Jovin. *At dicis: super Petram fundatur Ecclesia, licet id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni Coelorum accipiant, & ex* AEQVO *super illos fortitudo Ecclesiae solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Clarissime autem *Cypriani* mentem adsequutus est *Gelasius* Papa Tract. adv. Graec. his verbis: *Numquidnam reliqui Sancti, & beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat adfirmare? Sed ut Capite constituto, schismatis tolleretur occasio, & una monstraretur compago Corporis Christi..... Duodecim certe fuerunt Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti, quumque omnes aequaliter spirituali luce*

fulgerent, unum tamen Principem esse ex illis voluit Christus. Certissimis hisce veterum sententiis institere *Gallicani* Praesules in litteris ex anni 1655. conventu ad omnes coepiscopos missis, in quibus apud *Bossuet. defens declarat. Cler. Gallic. T. II. L. XIII. cap.* 14. ajunt; neminem orthodoxum dubitare, quin Papa sit caput, pastor, & primas universalis Ecclesiae, ut loquitur Concilium *Florentinum*.... Verum ea doctrina, *pergunt*, non destruit jus episcopale..... Hierarchiam nihil aliud esse, quam subordinationem quamdam membrorum ad caput; eo esse comparatam, ut membra conservet sub capitis regimine, ac licet utrique, & caput, & membra potestatem ac vitam ducant ab eodem Christo, non tamen eadem vi, neque pari auctoritate: Apostolos haud minus *Petro* fuisse subjectos, quamquam aeque ac *Petrus* a Christo missionem habuissent.

42 (42) Haec verba a *Johanne Fello Oxoniensi* pseudo-Episcopo expuncta sunt; a *Latinio* quoque, aliisque criticis rejecta. Istorum exemplo *Balutius* se abduci siverat, in subiuncta tamen adnotatione ea non modo in *Marcelli* II. codice, sed etiam in *Pelagii* II. ad *Istros* Episcopos epistola legi non dissimularat. D. *Prudentius Marand*, cui perficiendae *Balutianae* editionis cura delata fuit, textum ad *Pelagii* epistolam, ac *Manutii*, *Pamelii*, & Gallicanarum a centum quinquaginta annis emissarum, ne *Rigaltiana* quidem excepta, editionum Libros restituit. *Johannes Fellus*, qui *Oxoniensi* S. *Cypriani* editioni praefuit, eaque

eaque verba, ut dixi, delevit, Sanctae Sedi adeo pertinaciter inimicus erat, ut in suis ad LV. *Cypriani* epistolam adnotationibus haec scribere non pertimuerit: *pro desperatis & perditis habendos esse, quibus minor videtur auctoritas Episcoporum in Africa, quam vel* Cornelii *ipsius, in Cathedra* Petri Romae *sedentis*. Verum unus hujus ipsius epistolae locus satis ostendit, quantopere Catholicus *Carthaginis* Primas ab *Anglicano* pseudo-Episcopo hac in sententia dissideret. *Post ista adhuc*, inquit ea in epistola *Cyprianus*, *insuper pseudo-Episcopo sibi ab haereticis constituto navigare audent, & ad* Petri *cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde Unitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse* Romanos, *quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere adcessum*. Quid unitatis Sacerdotalis exordium, nisi datus *Petro* primatus? Quid *Ecclesia principalis*, nisi Ecclesiarum omnium dignitate, & jurisdictione princeps? Hanc observationem D. *Marandii* animadversio Praef. in Cypr. §. III. claudat, si nempe *quae* Oxoniensis *Editor &* Baluzius *expunxerunt .... recidantur, reliquas testimonii hujus partes satis per se habituras momenti ad primatum Ecclesiae* Romanae *ostendendum*. M.

(43) Pluribus membris Ecclesia constat; non tamen nisi unum corpus efficit, quum nonnisi unum caput habeat. Plures in Ecclesia Doctores sunt; sed una solum cathedra, hi enim omnes Doctores sub uno capite con- 43

 socian-

sociantur, nec cum illo nisi unam doctrinam efficiunt. M.

44 (44) Quum unum sit caput, cujus jurisdictione omnes gregis partes in unum tantummodo corpus cogantur. M.

45 (45) Schismate ab unitate separamur; schisma porro absque haeresi diu perdurare nequit. Pulcre S. *Hieronymus* Comm. in ep. ad Tit. cap. 3. *Inter haeresim & schisma hoc esse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur: quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*. M.

46 (46) *Fellus*, *Balutius*, aliique id glossema esse, quod in textum irrepserit, arbitrantur. Exstant tamen haec verba in *Pelagii* II. epistola, in actis *Alexandr.* III. apud *Baronium*, in *Camberonensi* Codice, quem *Pamelius* vidit, in quatuor *Anglicanis* MSS. exemplis ab ipso *Fello* indicatis, atque in duobus Codicibus altero *Vaticano*, altero *Bononiensi* S. *Salvatoris*, quos *Romani Gratiani* correctores *ad dist. XCIII.* appellant. Non ergo mirum, hunc locum veluti genuinum S. *Cypriani* a Clero *Gallicano Parisiis* coacto a. 1682. laudatum fuisse in litteris ad Archiepiscopos, Episcopos &c. *Fidenter*, inquit Clerus, *cum B.* Cypriano *pronunciamus, eum qui Cathedram* Petri, *super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia non esse. Cathedram porro*

ro Petri *deserit, qui a* Petri *successore unitatis origine, & capite sejungitur*. „ Videant „ ergo, inquit *Ballerinius* in appendice ad „ librum *de vi ac ratione primatus pag.* 333. „ quam perperam sese nonnulli purgare eo no„ mine existiment, quod a communione Se„ dis Apostolicae non se separarint, sed ab „ ipsa Sede separati fuerint, dum haec sepa„ ratio ex eorum culpa originem duxit & per„ tinacia ipsorum in caussa est, ne in com„ munionem recipiantur. Hac eadem ratione „ se a schismate defendere conati sunt plures „ recentiores haeretici, sicut olim eadem de „ caussa se se studuerunt purgare inter cete„ ros antiquos haereticos *Montanistae*, quum „ se non exisse de Ecclesia, sed ab ea invi„ tos fuisse exclusos, atque communione pri„ vatos, & exinde satis tutos praeferebant, „ ut probat Cardinalis *Ursius* in dissertatione „ Apologetica pro SS. *Perpetua, & Felicitate Cap.* 2. §. 7. Quae excusatio si non pro„ batur ab adversariis Catholicis, dum pro „ vindicanda eorum separatione ab Ecclesia ad„ fertur, quomodo eamdem probare pote„ runt, dum adducitur ob excusandam sepa„ rationem a Sede Apostolica per excommu„ nicationis sententiam, quae dum sejungit ab „ unitate & communione ejus Sedis, quae „ Catholicae Ecclesiae est fundamentum, ab „ unitate & communione ipsius Ecclesiae ei „ fundamento incumbenti uno eodemque ictu „ praecidit? Confer quae in hanc rem lucu„ lenter protulit Illustrissimus *Fenelonus* Ar-

„ chie-

„ chiepiſcopus *Cameracenſis* in Inſtructione Pa-„ ſtorali diei 25. Junii anni 1714. „ Miror autem *Febronium* in indice tomi II. *p.* 644. haec adſcripſiſſe: *ſchiſma non eſt diſſentire a Papa* 77. *ſed a Concilio* p. 81. quum pagina illa 81. *Colonienſis* Univerſitatis ſententia a. 1440. prolata recitetur, ubi haec leguntur, quae *Febroniano* indiculo penitus adverſantur: *quare Chriſtianus, proteſtans ſe non velle obedire Eccleſiae Synodaliter congregatae*, VEL SEDI APOSTOLICAE, *videtur ſchiſmatice ſe ab Eccleſia & Sede Apoſtolica dividere, & alicujus infidelitatis ſigna hoc actu demonſtrare*. Verum quid hunc *Febronii* lapſum miror, qui unam ejus in deſignandis *Colonienſium* verbis malam fidem, aut ſi quis velit oſcitantiam prodit? An non mirandum magis, ſeu potius dolendum, haec ab ipſo generatim prodiiſſe: *ſchiſma non eſt diſſentire a Papa*? Conferat ſua haec *Febronius* cum iſtis S. *Hieronymi* ad *Damaſum* litteris: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum, ſequens, Beatitudini tuae, ideſt Cathedrae* Petri, *communione conſocior*. *Super illam petram aedificatam Eccleſiam ſcio*. *Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus erit*. *Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio*. Et poſt pauca: *Qui tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt*. Conferat cum illis *Ambroſii* verbis de *Poenit*. cap. 7. *Non habent enim* Petri *hereditatem, qui* Petri *ſedem non habent*. Conferat cum iis, quae in cap. XVI. Matth. lib. V. *Rhabanus Maurus*

rus Moguntinus Antistes scripsit: *sed ideo Beatus* Petrus, *qui Christum bona fide confessus, vero est amore sequutus, specialiter claves Regni coelorum, & Principatum judiciariae potestatis adcepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quod* QVICVMQVE AB VNITATE FIDEI, VEL SOCIETATIS ILLIVS QVOLIBET MODO SEMETIPSOS SEGREGANT, TALES NEC PECCATORVM VINCVLIS ABSOLVI, NEC IANVAM POSSINT REGNI COELESTIS INGREDI. Quamquam ne his quidem immorandum. Graviora *Febronius* evomuit. Ait ille schisma ex parte *Romani* Pontificis *tenere se posse* (T. I. Cap. VI. §. 16. p. 514. & alibi); probat integra epistola ad calcem tomi II. impressa, subtrahi *Romano* Pontifici obedientiam impune posse, atque adeo interdum debere; addit eodem Tomo II. Papae censuras adeo timendas saepe non esse, ut ille excommunicari ab inferioribus Episcopis possit. Quis furor hic est? Qui *cathedram* Petri, *super quem fundata est Ecclesia*, nempe ut ex *Hieronymo* intelleximus, *Romanum* ipsum Pontificem non *deserit* modo, sed eum, qui exordium est unitatis, ab unitate sejunctum habet, atque aversatur, qui illi obedientiam denegat, qui excommunicatione illum audet percellere, in *Ecclesia se esse Febronio* judice atque adsertore confidet? Haec virulenta ejus dicta vide in *Antifebronio vindicato* T. IV. refutata; sed quod ad ejusmodi excommunicationem adtinet, sunt a me heic aliqua ex Cardinale *Perronio* (*Repliq. a la Ref-*

Responſe du Roi de la grand-Bretagne lib. I. cap. 27.) addenda, quae perverſum hoc dogma convellant. *Dioſcorus* quemadmodum adverſus S. *Julium Arriani* Epiſcopi in *pſeudo-Sardicenſi* Conciliabulo, in S. *Leonem* M. anathema dixerat. En egregios anathematum in *Romanos* Pontifices a *Febronio* commendatorum auctores. At quid *Chalcedonenſes* Patres? Scelerum, quibus *Dioſcorus* adſtrictus erat, hoc illi longe graviſſimum eſſe cenſuerunt, quod *Febronius* ſi ſibi conſtet, magnis efferre laudibus deberet. *Et poſt haec omnia*, inquiunt in Relatione ad ipſum *Leonem*) T. IV. Labb. Conc. edit. col. 836.), INSVPER & *contra ipſum, cui vineae cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt contra tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem; & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiae unire feſtinas*. Quid? quod depoſitus *Dioſcorus* fuit; ſed qua de cauſſa? Num ob haereſim ſuam? Num ob *Flaviani* Sanctiſſimi Epiſcopi coedem? Num ob alia, de quibus adcuſatus fuerat, crimina? Nequaquam. Cur ergo? Audiat *Febronius Anatolium Conſtantinopolitanum* Epiſcopum (Chalc. Conc. Act. V. col. 55.) *Propter fidem non eſt damnatus* Dioſcorus, *ſed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiſcopo* Leoni. Tantum nefas Patribus *Chalcedonenſibus* viſum eſt in *Romanum* Pontificem excommunicationem intentare. Glorieturne poſt haec *Febronius* de *Gallis* Epiſcopis, qui *Gregorio* IV. *Gallias* cogitanti excommunicationem minati ſunt? Diſcat quaeſo

tan-

tandem, si sapit haec facta ejusmodi esse, ut si vera sint (quod non omnes eruditi viri consentiunt) oblivionis velo obtegi debeant, non in hominum memoriam, lucemque publicam revocari.

(47) Hunc *Paulli* locum *Cyprianus* citat, ut quum quis Ecclesiae & Cathedrae *Petri* resistit, eum in Ecclesia non esse ostendat; non enim amplius ad corpus spectat, neque Ecclesiae spiritum habet. Isthaec porro plurium membrorum unum idemque corpus conflantium, eodemque spiritu animatorum unitas a *Cypriano unitatis Sacramentum*, seu *mysterium* appellatur. Ceterum, uti ab *Hieronymo* animadversum est Comm. in Ep. ad Eph. Cap. IV., *hic locus* (Paulli) *vel maxime adversum haereticos facit, qui pacis vinculo dissipato, atque disrupto, putant se tenere spiritus unitatem, quum unitas spiritus in pacis vinculo conservetur*. M. 47

(48) *Unus* scilicet, ut idem *Hieronymus* ait l. c. *Spiritus Sanctus; unus quippe largitor, & sanctificator omnium*. Alios tamen aliter de hoc sensisse, S. Doctor nos monet. *Non ignoro*, inquit, *in eo, quod nunc exposui solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, spiritum a plerisque non sanctum adcipi, sed adfectum mentis atque sententiam; juxta quam omnium credentium erat una anima & cor unum*. Sed & his, qui hanc interpretationem sequantur, ad Spiritum Sanctum ultimo deveniendum est; Spiritus enim Sanctus virtutum, quibus adfectus hominum sententiaeque in 48

in Ecclesia concordant, fons est atque principium. M.

49 (49) Licet in domo Patris nostri multae mansiones sint, eadem tamen nobis omnibus spes est aeternae demum consequendae salutis. M.

50 (50) *Paullus* II. in epistola ad Archiep. Coloc. a. 1460. 14. Kal. Aug. scripta ita hunc *Cypriani* locum adlegat. *Quia unum Corpus & unus spiritus omnes sumus, qui unum Dominum, unum Deum, unam fidem praedicamus & colimus. Unde & unitatem firmiter tenere & vindicare debemus omnes Episcopi, ut Episcopatum quoque, ut Beatus inquit* Cyprianus, *unum & individuum comprobemus*.

51 (51) *Salmasius*, & *Blondellus* Ministri Protestantes *Cypriano* eosdem fuisse Episcopos, & secundi ordinis Presbyteros, utrosque divino jure ad eumdem in Sacerdotio gradum evectos contendunt. Nihil vero a *Cypriani* sententia magis abhorret. Legatur ejus undecima ad plebem *Carthaginiensem* epistola. *Audio tamen*, inquit, *quosdam de presbyteris nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint, cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & Cathedrae reservantes, jam cum lapsis communicare coepisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad haec per ordinem perveniri*. Quid? nonne ea verba: *nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & cathedrae reservantes &c.* perspicue denotant, Episcopos non Cathedrae solum, sed & Sacerdotii dignitate esse Presbyteris praestantiores? Alibi Episcoporum ordinationem distincte memorat

rat

rat, illorum continenter potestatem explicat, utramque divina lege constitutam adfirmat. *Inde*, inquit ep. XXVII., *per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio & Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, ut omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Quum hoc itaque divina lege fundatum sit &c.* Sensit ergo *Cyprianus* legem divinam Episcopis rectionis potestatem tradidisse; eam Episcoporum ordinationem a Presbyterorum consecratione distinctam praescripsisse, illam propterea graduum in Sacerdotio discrimen posuisse. Conferatur D. *Prudentii Marandi* in *Cyprianum Balutianae* editionis praefatio. M. *Salmasium* & *Blondellum* *Mosbemius* quoque magni inter recentiores Protestantes nominis refellit in commentariis *de rebus Christianorum ante* Constantinum *M. p.*589. *seqq.* refellendus & ipse in aliis, quae in Sanctissimum Episcopum & Martyrem irreverenter aeque atque imperite effutit. Inter haec illud inscitissime dictum *pag.* 578. ubi adlatum supra a *Massiliensi* Episcopo ex epistola XXVII. locum interpretatur. Ait ergo *Mosbemius*, a Cypriano *disertissime tradi, Ecclesiam super Episcopos constitutam, seu quod idem est, Episcopis superiorem esse*. O praeclarum *Cypriani* interpretem Orbilii ferula dignum! Tamen quid esset *Cypriano Ecclesia super Episcopo constituta*, ex ipso illo loco discere poterat; sequitur enim: *& omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur*. Fierine poterat, ut *Cyprianus* Ecclesiam, cujus *omnis actus per praepositos*,

ſitos, ſeu *Epiſcopos gubernetur*, Epiſcopis ſuperiorem eſſe opinaretur? *Gubernationem* quidem *Mosbemius* explicat, nempe *Epiſcopum conventibus Eccleſiae praeſidere, argumentum deliberationis proponere, ſuffragia colligere*; at neque hoc eſt gubernare, neque OMNIS *actus Eccleſiae*, qui tamen *Cypriano* teſte *per praepoſitos gubernabatur*. Vere, inquit *Mosbemius* vi veritatis cogente; *at plura* gubernationis *vocabulum heic indicare non poteſt, quia Eccleſiam majorem, & ſuperiorem dixerat Epiſcopo eſſe*. Immo *Cyprianum* numquam de Eccleſia Epiſcopo ſuperiore cogitaſſe *Mosbemius* vel hinc diſcere debuerat, quod *omnem Eccleſiae actum per Praepoſitos* gubernari edixerat. *Si Eccleſiam ſuper Epiſcopos conſtitutam* *Mosbemius*, uti debuit, intellexiſſet *Eccleſiam ſuper Epiſcopos fundatam*, uti generatim Eccleſiam ſuper *Petrum fundatam*, conditam, conſtitutam (haec enim idem ſunt) ſaepius *Cyprianus* appellat, nae ille tam abſurdum, inconſtanſque figmentum doctiſſimo *Carthaginienſium* Epiſcopo non adfinxiſſet. Sed ut de *Cypriani* mente nulla relinquatur dubitatio, ad ejus Epiſtolam LXIX., quae *Florentio Pupiano* inſcribitur, nos conferamus, quidque *Cypriano* Eccleſia ſit, videamus. *Illi*, inquit, *ſunt Eccleſia plebs Sacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adbaerens. Unde ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſiquis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe*. Quod heic *Eccleſia in Epiſcopo*, eſt in ſuperiore epiſtola XXVII. *Eccleſia ſuper Epiſcopum conſtituta*.
Hinc

Hinc quemadmodum supra *Cyprianum* dicentem audivimus, eum, qui Cathedram *Petri*, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia non esse, ita heic illum, qui cum *Episcopo non sit*, utique quia super eum constituta, seu aedificata est Ecclesia, ait *in Ecclesia non esse*. Sed adlata ex *Cypriano* Ecclesiae definitio me cogit, ut contra *Böhmerum* pauca disputem. Hic nempe *Diss.IX.inter XII.Jur.Eccles.ant.ad Plin.secund. & Tertull.*§.17.mutatam S.Martyris aevo Ecclesiae formam fuisse, & Episcopos cum reliquo clero omnia jura Ecclesiae sibi vindicasse audacter adfirmat; *Launojo* deinde adsentitur *p.*v11*.ep.*13*.n.*360.eam Ecclesiae definitionem improbanti, quod schismatis tempore eam *Cyprianus* tradiderit, Ecclesiae vero universae sublato schismate illa non satis congruere videatur. Sed *Launojo*, quem Doctores omnes Catholici, atque in his *Tournelius*, egregie confutarunt, dimisso, *Böhmerum* adgrediamur. *Consessum ordinis Ecclesiastici* primis duobus Christianae fidei saeculis in Ecclesia exstitisse *Böhmerus* non diffitetur; negat illi Episcopum, qui a Presbyteris distingueretur, auctoritate praefuisse; negat ejusmodi *consessum* ad Ecclesiae *ουσιαν* pertinuisse. Quare quum *Cyprianus* Episcoporum jurisdictionem toties inculcet, Ecclesiamque in Episcopo esse, ac super eum constitutam ita velit, ut sine illo Ecclesiae natura intelligi nequeat, tertio jam saeculo Ecclesiae statum, ac naturam a primaeva illa simplicitate ac libertate excidisse conqueritur. Ego vero, ne gravissimis, quae suboriri heic possent, de Clericorum, ac Laico-

 rum

rum differentia, ac de Episcoporum praestantiore in Ecclesia gradu disputationibus me imprudens immisceam (consulendus interea de his magnus *Petavius* in *Dissertationibus Ecclesiasticis*, & in Libris de *Hierarchia*, itemque *Petrus de Marca* in Dissertatione de *Discrimine Clericorum*, ac *Laicorum*) id tantummodo mihi demonstrandum sumo, nihil a *Cypriano* tradi, quod cum primitivae Ecclesiae moribus pugnet. Ac primo observari velim, quantae arrogantiae, ac temeritatis sit, sanctissimos *Cyprianici* aevi Episcopos immutati Ecclesiastici status, & usurpatae auctoritatis insimulare, quin tamen Christiani tantae ambitioni ullo pacto obsisterent. Illud vero insaniae praeterea cujusdam est, si *Cyprianum*, qui contra schismaticos dimicabat, falsis, quae aequalium sui temporis Episcoporum ambitio invexisset, dogmatibus suam adversus schismaticorum impetus dignitatem tueri voluisse finxeris. An non enim schismatici primaevae Ecclesiae statum (quem ubique locorum penitus jam tum obsolevisse quis credat?) ad reprimendos *Cypriani* conatus, eique majorem apud *Carthaginienses* conflandam invidiam objecissent? Neque hoc aut pervidit, aut timuit *Cyprianus*? Sed bene est; fatetur §.XIV. *Böhmerus Irenaeum*, atque adeo *Tertullianum Cypriano* antiquiores cum haereticis Apostolicarum Ecclesiarum auctoritate decertasse. Ac revera *Irenaeus* Lib.IV. adv. haer. c. 43. *Quapropter*, inquit, *eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui*

cum

cum Episcopatus successione (en quid *Irenaeo* Presbyteri fuerint, Episcopi erant) *charisma veritatis certum secundum placitum patris adceperunt. Reliquos autem, qui absistunt a principali successione, & quocumque loco colliguntur, suspectos habere, & quasi haereticos &c.* Libro autem tertio nominatim de *Romana* Ecclesia scripserat *cap.3. Maximae, & antiquissimae & omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis* Petro & Paullo Romae *fundatae & constitutae Ecclesiae eam, quam habet ab Apostolis, traditionem & adnunciatam hominibus fidem per successionem Episcoporum venientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per coecitatem & malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles.* Ad successionem quoque Episcoporum provocavit *Tertullianus* de praescript. haeretic. c. 32. ubi ait: *edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt: sicut* Smyrnaeorum *Ecclesia* Polycarpum *ab* Johanne *conlocatum refert: sicut* Romanorum Clementem *a* Petro *ordinatum itidem; perinde utique & ceterae exhibent, quos ab*

Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. *Ita* scilicet *factum est*, inquit *Böhmerus* §. XVI. p. 473., *ut in quaestionibus controversis ad auctoritatem Ecclesiarum Apostolicarum ubique provocaretur; qua tamen non tam* coetuum ipsorum, *sed* confessus ordinis Ecclesiastici *stabilita est auctoritas*. Ego tamen neminem, qui praejudicatis opinionibus non ducatur, fore crediderim, qui *nisi confessus ordinis Ecclesiastici stabilita jam esset auctoritas*, *Irenaeum*, ac *Tertullianum* horum confessuum ab Apostolis successione cum haereticis pugnaturos fuisse prudens existimet. Quid ad nos reposuissent haeretici, confessus isti tui, etsi ab Apostolis usque continua successione derivati? Ecclesias ipsas audire volumus, non ordinem Ecclesiasticum, cui nulla in Ecclesias auctoritas inest. Ante igitur quam ordinis Ecclesiastici auctoritate haereticos refellerent, eam *Irenaeus*, eam *Tertullianus* certis confirmare argumentis debuissent: quod quum ipsi nequaquam praestiterint, quid restat, nisi ut illam jam tum omnes Catholicos aeque atque haereticos exploratam habuisse dicamus? Non ergo ex appellata in quaestionibus controversis auctoritate Ecclesiarum Apostolicarum confessus ordinis Ecclesiastici stabilita est auctoritas (quod *Böhmerus* ajebat); sed ex ordinis Ecclesiastici dudum stabilita auctoritate ad auctoritatem Ecclesiarum Apostolicarum in quaestionibus controversis factum est, ut ubique provocaretur. Sed ad antiquiora adscendamus tempora. S. *Ignatii* igitur Martyris genuinas consulamus Epistolas.

Hor-

Hortor, inquit in Epiſtola ad Magneſianos, *ut hoc ſit veſtrum ſtudium, in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo praeſidente Dei loco, & presbyteris loco ſenatus Apoſtolici*. Et paullo poſt: *Quemadmodum Dominus ſine Patre nihil fecit .... itaque neque vos ſine Epiſcopo & presbyteris quidquam agite*. Ad *Smyrnaeos* autem ita ſcribit: *ubi Epiſcopus fuerit, ibi populus ſit, quemadmodum ubi Chriſtus Jeſus, ibi Catholica Eccleſia*. Ad *Epheſios* autem, *Epiſcopum vero*, inquit, *oportet tamquam Dominum revereri, utpote qui, eodem teſte, loco Dei praeſidet*. Ad *Trallianos* quoque ait: *ſine presbyteris Eccleſia electa non eſt, nulla congregatio Sanctorum, nulla collectio piorum*. Tantum vero aberat, ut Epiſcopos vellet a ſacra juriſdictione abhorrere, ut ipſi Epiſcopo *Polycarpo* ſuaſerit ſuam in omnibus tueri auctoritatem. *Nihil*, ad eum ſcribit, *ſine ſententia tua fiat, neque tu ſine Deo quid operere, quod autem operaris, ſit bene ſtabile*. Qui haec legerit, obſtupeſcet profecto, dum *Böhmerum* poſtea audierit docentem (ibid. §. V. p. 453.) *Eccleſiam perfectam* exſtare poſſe, *licet* ordinis Eccleſiaſtici *deficiat conſeſſus*; conſtituiſſe presbyteros, PARI poteſtate praeditos, unum quoddam inter ſe collegium, & ſynedrium, in quo primum locum ſenior occupare deberet (Diſſ. VIII. §. 12. p. 431.) praeſidem tamen in conſeſſu Eccleſiaſtico apud Chriſtianos nullum fuiſſe (Diſſ. VIII. §. 8. p. 422.) ſenior quippe ille *ab initio omni praerogativa vacabat* (ibid. §. 12. p. 431.) Haeccine Eccleſiae Apoſtolicae, atque adeo primaevae imago,

quam *Ignatii* epiſtolae praeſeferunt ? Si *ſine presbyteris Eccleſia electa non eſt , perfectane Eccleſia, licet ordinis Eccleſiaſtici deficeret conſeſſus, conſiſtere poterat? Si Epiſcopus praeſidebat Dei loco, presbyteri loco Senatus Apoſtolorum;* quei conſeſſus ordinis Eccleſiaſtici ſolis presbyteris *pari poteſtate praeditis* conſtabat ? Si nihil *ſine ſententia Epiſcopi* faciendum erat, eumque *oportebat tamquam Dominum revereri*, quomodo Epiſcopus, ſeu *Böhmeri* ſenior *omni praerogativa vacabat?* Quid vero illud : *ubi Epiſcopus fuerit, ibi populus ſit, quemadmodum ubi Chriſtus Jeſus, ibi Catholica Eccleſia?* An non illud ipſum *Cypriani* eſt, *qui cum Epiſcopo non eſt, in Eccleſia non eſt?* quum enim Epiſcopus loco Dei praeſideat, *quemadmodum ubi Chriſtus Jeſus, ibi Catholica Eccleſia*, ita ubi Epiſcopus eſt, catholica erit Eccleſia. Neceſſe ergo quoque eſt, ut *Ignatius* eum, qui cum Epiſcopo non eſt, in Eccleſia (quod *Cyprianus* dixit) non eſſe exiſtimarit. Sanctus quoque *Clemens Romanus Ignatio* aequalis, ſed paullo antiquior *Böhmeri* ſyſtema disjicit. Laudat ille *Corinthios* (Ep.I.) quod Praepoſitis ſuis antea obedierint: *Sine perſonarum*, inquit, *adceptione cuncta faciebatis, & in Dei legitimis ambulabatis ſubditi praepoſitis veſtris , & honorem debitum presbyteris veſtris tribuentes.* Quid hoc *ſubditi praepoſitis veſtris*, ſi nulla conſeſſui ordinis Eccleſiaſtici in Eccleſiam juriſdictio erat? Haec porro *Clemens a Paullo* didicerat, nihil enim ab eo crebrius inculcatum videmus, quam regendae Eccleſiae auctoritatem ac poteſtatem

ſtatem legitimis Paſtoribus, ac Praeſidibus conceſſam a Deo fuiſſe, illiſque omnino parendum. Nonne convocatis majoribus natu Eccleſiae *Paullus* edixit (Act.XX.28.): *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere ποιμαίνειν Eccleſiam Dei?* Ecce *Paullus* non Eccleſiae conventione aut pacto, ſed a Spiritu Sancto Epiſcopos hos ad regimen Eccleſiae poſitos aperte dicit. Quare is ipſe *Paullus* (1. *Tim.V.*17.) regimen presbyteris adjudicat: *Qui bene*, inquit, *praeſunt presbyteri, duplici bonore digni ſunt*. Et ad *Hebraeos* monet (*Hebr.XIII.*17.) in ſua ad eos Epiſtola: *obedite praepoſitis veſtris, & ſubjacete eis*. Haec pauca ad vindicandum ab impacta injuria *Cyprianum*, atque adeo qui ejus ſaeculo obtinebat, Eccleſiae ſtatum ſufficiant.

(52) *Epiſcopatus*, inquit doctiſſimus *Bellarminus* L.II. de Rom. Pont. cap. 16., *unus eſt eo modo, quo Eccleſia una eſt. Eccleſia autem eſt una eo modo, quo multi arboris rami ſunt una arbor, multi rivi una aqua, & multi radii una lux, ut ibidem* Cyprianus *dicit. Sicut ergo in ramis, in rivis & radiis unitas eſt ratione unius capitis, ideſt, radicis, fontis, ſolis, licet rami ipſi, rivi & radii multiplicentur; ita etiam Eccleſia eſt una & Epiſcopatus unus in radice & capite, quamvis multae ſint particulares Eccleſiae, multique particulares Epiſcopatus*. M. 52

(53) *Individuum* legit *Paullus* II., qui ut vidimus, in Epiſtola ad Archiep. Colocenſem a. 1460. hanc *Cypriani* ſententiam deſcripſit: 53

quae vox majorem quamdam ἐνέργειαν praesefert. *Individuus* porro Episcopatus est, ut qui suo semper sit capiti conjunctus. Episcopi, qui aut haeresi, aut schismate ab eo sese dissociant, Episcopalem non amittunt characterem; Episcopatus tamen non amplius membra sunt, quemadmodum qui Christiani ab Ecclesia se disjungunt, Baptismi characterem adhuc servant, non tamen amplius Ecclesiae sunt membra. M.

54 (54) *Balutius* in hunc locum monet, *istis verbis, sed paullulum mutatis & mutilatis tamquam suis* usum fuisse in conventu *Mantuano Pium* II. ut *videre est in Tomo* IX. spicileg. Dacheriani *p.* 312. M.

55 (55) Hanc pericopen, inquit idem *Balutius*, omisit *Pius* II. in conventu Mantuano. *Poterat tamen ea non inutiliter uti secundum eorum sententiam, qui Episcopum unum interpretantur de Episcopo* Romano, *qui ex illorum opinione est sponsus Ecclesiae Catholicae universalis, ut supra notavimus pagina* 436. *Vide* Bellarminum *Lib.* 2. *de Rom. Pont. cap.* 16. *Bellarminum* tamen, quem appellat, non videtur *Balutius* contulisse. Nam haec eo loco *Bellarminus*. *Itaque ex sententia* Cypriani *recte colligitur, non esse Papam* Romanum *solum Episcopum omnium Ecclesiarum; sunt enim & alii veri Episcopi, qui partem suam regendam susceperunt Ecclesiae universalis. Non tamen recte colligitur, non esse* Romanum *Pontificem Caput & Pastorem Episcoporum omnium, & proinde etiam Ecclesiae universalis: quandoquidem pars, quae ipsi regenda commissa est, eum lo-*

locum habet in Ecclesia, quem habet radix in arbore, caput in corpore, & fons in aquarum rivulis. M.

(56) Pars tenetur, sed non aequalis. Sic ex. gr. *Cypriani Carthaginiensis* Primatis auctoritas auctoritate, qua Episcopi ejus primatui obnoxii pollebant, amplior erat. Recte *Bellarminus* L. II. de Rom. Pont. cap. 16. *Unius igitur magni Episcopatus ab Episcopis singulis in solidum pars tenetur, sed non aequalis, neque eodem modo. Nam* Petrus *& ejus successores tenent eam partem, quae est veluti caput & radix & fons: ceteri tenent alias partes, quae sunt velut rami & rivi*. Quae similitudines ex ipso *Cypriano* depromptae sunt, quemadmodum paullo post videbimus. M. 56

(57) Duobus haec phrasis modis explicari potest, utroque vero, nec invicem separabili. Primus est, a singulis Episcopis Episcopatus portionem ita teneri, ut integrum, stabile, & indivisum corpus efficiant, in suaque unitate, atque integritate constanter conservent. *Solidum* enim integrum significat: quare *Livius* dec. 1. Lib. I. *solidum annum* pro integro dixit. Alter sensus est, quum una Ecclesiae pars periclitatur, ceteros omnes Episcopos, eos quoque, quorum Ecclesiae laetissima pace fruuntur, illi subsidio venire debere. Quod idem *Cyprianus* Ep. LXVII. ad *Stephanum* Papam explicat his verbis: *Copiosum corpus est Sacerdotum concordiae mutuae glutino, atque unitatis vinculo copulatum, ut siquis in Collegio nostro haeresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare ten-* 57

tentaverit, subveniant ceteri, & quasi Pastores utiles & misericordes, oves Dominicas in gregem colligant. M. Frustra igitur *Febronius* cum pseudo-Episcopo *Fello* triumphum agit in hac *Cypriani* vocula: *in solidum*: qua unum hoc significatur, a singulis Episcopis partem Ecclesiae, sive propriam Dioecesim teneri *jure*, ac *jurisdictione*, Dioeceses ceteras *caritate*, quae omnibus, quibus potest, & quibuslibet modis potest, sive precibus, sive epistolis, sive libellis, sive Conciliorum celebratione opitulatur. Hoc sensu scribit *Augustinus* ad *Bonifacium* Papam Lib. I. contra duas Epistolas *Pelagianorum* cap. 1. *Quum ... communis sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatu (quamvis ipse in eo praeemineas celsiore fastigio speculae Pastoralis) facio quod possum pro mei particula muneris ... ut pestilentibus & insidiantibus eorum scriptis medentia & munientia scripta praetendam*. Confer *Antifebronium vindicatum T. I. Diss. III. cap. 3. pag.* 451. *seqq.* ubi & haec confirmantur, & aliae a doctis viris ad haec verba adhibitae interpretationes referuntur, & illustrantur.

58 (58) Quum unitas in sectis a *Romana* Ecclesia sejunctis inveniri nequeat, earum defensores testimonia, quae illius necessitatem probent, infirmare, ac pervertere semper conati sunt. *Henricus Dodwellus*, qui tresdecim in varia *Cypriani* loca dissertationes scripsit, *Oxonii* primum a. 1682. editas, a. deinde 1700. recusas, Diss. VII. contendit, *Cyprianum*, dum de Ecclesiae unitate loquitur, non de ea, quam Catho-

Catholicae Ecclesiae dicimus; sed de singularium Ecclesiarum agere unitate. *Non agi*, inquit, *de illius Ecclesiae unitate, quam Catholicam hodie dicimus, quae nimirum omnes ambitu suo per terrarum orbem Ecclesias particulares complectitur, sed de ipsis dumtaxat Ecclesiis particularibus*. Itane vero? De particulari Ecclesia *Cyprianus* loquitur, aut dum illam adserit, *in multitudinem latius incremento foecunditatis extendi*? aut dum ait: *sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit*? Quaenam porro particularis Ecclesia est, ubi Episcopatus sit, *cujus a singulis in solidum pars teneatur*? Nec mirer *Dodwellum* eruditum sane virum, cui quum ista scriberet, ante oculos *Cypriani* opera versabantur, ut schismatis, quo miser tenebatur, infamiam tegeret, interpretationem cum S. Martyris textu tam manifeste pugnantem proponere potuisse? M. Quoniam vero *Fellus* quoque *Oxoniensis Cypriani* editor pag. 76. Not. I. & pag. 77. not. item 1. & alibi *Dodwellum* sequitur, ac loqui *Cyprianum* de singulis Ecclesiis *Romana*, *Carthaginiensi* & aliis quibusvis sub uno praesule constitutis, *Massiliensis* Episcopi dicta aliis ejusdem *Cypriani* verbis confirmemus. Agit ille, quemadmodum & Christus Dominus, de Ecclesia, *quam portae inferi non vincent*. Numquid ejusmodi esse potest vel *Alexandrina*, vel *Antiochena*, vel *Carthaginiensis*, aliaeve singulares Ecclesiae? Universalem igitur solam intelligere *Cyprianus*, immo & Christus potuit. Universalem quoque Ecclesiam illa significant: *eidem* (Petro) *post*

post Resurrectionem suam dicit : Pasce oves meas. Super unum (Petrum) *aedificat Ecclesiam suam;* neque enim cogitare heic possumus super *Petrum* aedificatam Ecclesiam *Carthaginiensem* , aliasque particulares , nisi prout hae simul consideratae universalem Ecclesiam conficiunt . Sed & ipsum generale , & infinitum nomen *Ecclesiam suam* , non plurali numero , ac distribute enunciatum *Ecclesias suas* , nonne manifesto est argumento , heic non de hac , illave particulari Ecclesia agi , sed de universali ? Vide clariss. P. *Bianchi* in Opere *dell'esterior polizia della Chiesa T.III. Lib. I. cap.*3. §.13. *pag.* 316. *seqq.* Haec ipsa Ecclesiae universae unitas , quam *Cyprianus* extollit , me monet , ut paucis *Mosbemium* refellam , qui in Libro antea indicato *de rebus Christianorum ante Constantinum pag.* 152. ait : *omnes primae aetatis Ecclesiae , tametsi fidei & amoris vinculo arcte inter se colligatae, & ad omnia sibi officia mutuo praestanda paratissimae erant , sui tamen juris erant , seque ipsae sine alieno auxilio & externa quadam auctoritate gubernabant* . Duo satis sint ad hunc redarguendum errorem . Primum est , *Timotheum* non *Ephesinae* solum Ecclesiae , sed & universae *Asiae* fuisse a *Paullo* praepositum ; itemque *Titum Cretae* renunciatum ab eodem *Paullo* veluti Metropolitam ; quod ex *Paulli* ad eosdem epistolis a S. *Johanne Chrysostomo* expositis efficit idem P. *Bianchi l. c. cap.* 11. §.4. Alterum est , tribus prioribus Ecclesiae saeculis procul dubio celebrata Provinciarum Concilia fuisse , quod unius Ecclesiae in alias auctorita-

tem

tem satis ostendit. Negat id quidem *Mosbemius*, sed non mirum de homine, qui *Hierosolymitanam* Synodum super legalium caeremoniarum observatione ab Apostolis habitam Concilium dici non posse contendit. Satis tamen sit, in hanc rem Canonum Apostolicorum meminisse, quos in pluribus eorum temporum Conciliis a viris Apostolicis editos secundo saltem, tertioque saeculo passim in Ecclesia obtinuisse ex *Clemente Alexandrino*, *Origene*, *Tertulliano* aliisque ejusdem aetatis Scriptoribus *Beveregius* ipse licet Acatholicus adserit. Sed horum Canonum mentio novum eorum, quae dixi, argumentum suppeditat. Celeberrimus scilicet est hos inter Canon hujusmodi XXXIV. *Episcopos uniuscujusque gentis nosse eum oportet, qui est in eis Primus, & existimare eum ut caput, & nihil facere, quod sit magni momenti praeter illius sententiam: illa autem sola facere unumquemque, quae ad suam Parochiam* (Dioecesim nunc dicimus) *pertinent, & pagos, qui ei subsunt: sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. Sic enim erit concordia &c.* Ita Canon. In eum porro audi quid *Anglicanae* Ecclesiae Doctor *Laurentius Howel* in *Synopsi Canonum Londini* a. 1718. vulgata adnotarit p. 6. *Insignis est hic Canon ad evincendam Archiepiscoporum, & Patriarcharum antiquitatem, & primitivarum Ecclesiarum in Provincias distributionem.*

(59) Ista, aliaque hujus Libri verba *Hildebertus Cenomanensis* in sermonem *de pace* veluti sua, nulla injecta *Cypriani* mentione, 59

ne,

ne, transtulit. Vide novam ejus editionem *p.* 710. M.

60 (60) Nihil ad unitatem, ejusque originem explicandam his similitudinibus aptius. Hinc etiam facile intelligimus, quid idem *Cyprianus* cum in hoc Libro, tum Ep. LV. ad *Cornelium* significare illis phrasibus voluerit: *Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est: ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit &c.* Unitas semper sua in origine invenitur. Inde oritur, ibi residet, ibidem propterea quaerenda est. Haeretici & schismatici, quod illam ibi minime quaerant, miserrime errant. *Hoc eo fit*, inquit S. Doctor hujus libri num. 7. *Fratres dilectissimi, dum ad unitatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur.* Caput, quod haeretici, & schismatici nequaquam quaerunt, visibile caput est, nam quod oculis nostris haud patet, se quaerere profitentur, quamquam ad *Antichristum sub vocabulo Christi*, ut idem *Cyprianus* ait num. 6., *deducant*. M.

61 (61) Ex hujusmodi comparatione, quae & unitatem Ecclesiae, & membrorum, quibus constat, multitudinem, & suae unitatis in capite originem explicat, discimus, quid de ea *Lomberti* adnotatione sentiendum sit, *verba illa*: Primatus *Petro* datur, *expungenda esse*, quod *quum de unitate agitur, primatui locus non est, neque hic ex illa nisi inepte comprobatur*. Si vera haec esset animadversio, *Cypria-*

prianus unitatis originem in principe Ecclesia injuria collocasset: *Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*, nec facile dictu foret; quamobrem arboris, in qua truncus praecipua ejus pars, quodammodo vinculum est atque origo unitatis, comparatio ad Ecclesiam pertineret. M.

(62) Insistens hisce similitudinibus *Cyprianus* tria de schismaticis docet. Primum est, eos, dum se ab Ecclesia segregant, ejus unitatem haudquaquam dissolvere. Post eorum separationem stat illa, membrorum cum capite unione, non minus firma, queuiadmodum radius a luce avulsus ejus unitatem non infringeret, ceteris radiis, qui soli conjuncti perstarent, idem ut antea lucis corpus efficientibus. Alterum est, nullum in schismate meritum comparari posse; qui enim ab Ecclesia segregatur, a Christo, quocum qui non colligit, spargit, etiam disjungitur. *In schismatis aatem vulnere*, inquit S. *Augustinus* Lib.I. de Bapt. contr. Donat. cap. IX. n. 11. *quia cum Christo non colligunt, spargunt*. Tertium denique est, schismaticos quaecumque in unitate congesserant, merita, sua ab Ecclesia divisione, amittere uti rivus a fonte praecisus arescit. M. Huc spectat illud *Optati* Lib. II. p.33. ,, Intelligite vel ,, sero, vos esse filios impios, vos esse ramos ,, fractos ab arbore, vos esse abscissos palmites a vite, vos esse rivum concisum a fonte. Non enim potest esse origo rivus, quia ,, parvulus est, & non de se nascitur, aut ,, arbor ramus concisus, quum arbor fundata

,, suis

„ suis radicibus gaudeat, & ramus, si fuerit „ exsectus, arescat. Jam ne vides, Frater „ *Parmeniane*, jam ne sentis, jam ne intel- „ ligis, argumentis tuis contra te militasse? „ Quum probatum est, nos esse in Ecclesia „ Catholica, apud quos & symbolum Trinita- „ tis est: & PER CATHEDRAM PETRI, „ quae nostra est, & ceteras dotes APVD NOS „ ESSE, ETIAM SACERDOTIVM, quod in „ nobis annullare visus es in excusatione er- „ roris, & livoris vestri, dum post nos re- „ baptizatis „.

63 (63) Catholica scilicet, quae una dici potest *per orbem radios suos porrigere, ramos suos in universum terram extendere, profluentes largiter rivos latius expandere*. Difficile admodum intellectu est, quei *Dodwellus*, de quo antea loquuti sumus, Ecclesias particulares, non universalem Ecclesiam heic videre sibi visus fuerit. M.

64 (64) S. *Augustinus* hunc *Cypriani* locum citat *ep.*CVIII. ad *Macrobium Donatistarum* Episcopum, *Lib. II. contra* Cresconium *Grammaticum* illorum schismate detentum, itemque *Lib.* II. *contra* Gaudentium ejusdem sectae Episcopum *cap.* 11. Quae Sanctus Doctor ad hunc scribit, ceteris schismaticis, qui de *Cypriani* imitatione gloriantur, adcommodari possunt. „ Nunc „ interim quoniam vos potius esse Catholicos „ testimonio Beati *Cypriani* adfirmare conatus „ es: adtende paullulum, quam Ecclesiam di- „ xerit ille Catholicam, quum ejus defende- „ ret unitatem: *Ecclesia*, inquit, *Domini luce*

„ *per-*

„ *perfusa per totum orbem radios suos porri-*
„ *git : unum tamen lumen est , quod ubique*
„ *diffunditur , nec unitas corporis separatur .*
„ *Ramos suos in universam terram copia uber-*
„ *tatis extendit , profluentes largiter rivos la-*
„ *tius expandit : unum tamen caput est , &*
„ *origo una & una mater foecunditatis succes-*
„ *sibus copiosa*. Quid igitur & vos ipsos fal-
„ litis , & alios fallere mendaciis impudenti-
„ bus vultis ? Si hujus Martyris testimonio ve-
„ stra est Ecclesia Catholica , ostendite illam
„ per universam terram ramos suos copia uber-
„ tatis extendere. Hinc enim & *Graeco* voca-
„ bulo *Catholica* nominatur ... Recede a te-
„ stimonio *Cypriani* . Ille namque contra te
„ loquitur : qui vides quod dicat. Per orbem
„ totum dicit , & per universam terram por-
„ rigi , extendique Catholicam , *graeco* ejus
„ nomine definitioni consentiens. Tu aliud te-
„ nere , sentire , dicere reperiris , & dum
„ *Cypriano* teste inniteris , *Cypriano* teste men-
„ tiris „ . *Caveus Anglus* suam Scriptorum
Ecclesiasticorum *historiam litterariam Anglica-
nae* Ecclesiae nuncupans *in ea se renovatam in-
tueri aevi Cyprianici simplicitatem* adfirmat .
Deus bone ! eone praejudicatae opiniones ab-
ducere possunt ? Quaenam inter Ecclesiam , cu-
jus unitatem & simplicitatem *Cyprianus* propu-
gnabat , eamque , cujus schisma *Anglus* adsen-
tator purgare studet , esse potest similitudo ?
Illa *unum caput* habet *Petri* successorem , unam
suae unitatis originem in *Ecclesia principali* Ro-
mae constituta , unam *matrem foecunditatis Ro-*

manam Ecclesiam: lumen illa suum ubique diffundit; ramos suos in universam terram extendit &c. Altera ab Ecclesiarum capite, ab unitatis origine, a matre, quae illam pepererat, missis ad Idololatras earum regionum incolas Evangelii praeconibus, separatur; suaeque nationis limitibus circumscribitur, immo ne hos quidem plane occupat, quum intra illos magno numero verae exstent Ecclesiae filii, itemque omnium novarum haeresum defensores. M.

65 (65) Recitat hunc *Cypriani* locum S. *Fulgentius* Lib. I. *de remiss. peccator.* Cap. I. *Balutius* vero in eum longam pertexit adnotationem, ut eos, qui *Romanum* Pontificem *Ecclesiae sponsum* appellarunt, refellat. Objicit igitur illis non *Cypriani* solum testimonium, sed etiam plurium *Romanorum* Pontificum, qui vel Ecclesiae unum esse sponsum, Christum scilicet testantur, ut *Leo* Magnus, *Leo* IX., *Alexander* III., *Honorius* III. vel *suam ipsorum matrem* Ecclesiam vocant, ut *Paschalis* II. in Concilio *Lateranensi* & *Clemens* V. in *Viennensi* Concilio, vel demum se amicos *Sponsi* nominant, ut *Innocentius* III. Addit *Alypium* & S. *Augustinum* in Epistola ad *Julianam* viduam inter Augustinianas CLXXX VIII. diserte vocantes Christum *universae Ecclesiae unicum sponsum*. Hinc in *Alexandrum a Turre*, qui *Lib. IV. cap.* 14. duos dixit esse sponsos Ecclesiae, haud adspectabilem alterum, idest Christum, alterum visibilem, nempe Papam acriter invehitur. *Quo nihil*, inquit, *potest fingi ineptius. Quid enim fingi potest ineptius, quam dicere mulierem duobus viris matri-*

trimonio esse junctam, uni vero, & alteri imaginario? Miratur, exstitisse Pontifices, ut *Gregorium* X., & *Gregorium* IV. qui se *Ecclesiae sponsos* nominare ausi sint, ac Theologos, qui illis id nominis tribuerint, ut *Johannem Monachi* Cardinalem, *Johannem Andreae*, *Aegidium* Cardinalem *Viterbiensem*, & *Bellarminum* (Lib. II. cap. 31.) Tum ait: *Non bene profecto merentur de* Romano *Pontifice, qui vanas illas & futiles opiniones comminiscuntur. Contentus est ille sua suprema dignitate, qua nulla excelsior, excellentior, eminentior, atque sublimior est in orbe terrarum, cui nulla potestas aequari potest; ut ait* Pius *Papa II. ad* Carolum *VII.* Francorum *Regem scribens*. Sed aliqua in hanc *Balutii* adnotationem, quam compendio exhibuibus, animadvertere liceat. I. *Balutius* Papae quidquid Auctores, quos confutandos sumit, illi adjudicant, reapse concedit, immo multo plus quam quod ei tribuere fortasse voluisset. Sint exemplo ea verba: *cui nulla potestas aequari potest*; quae sane si in *Bellarmino*, aliove ex iis auctoribus, quos redarguit, invenisset, exaggerata visa ipsi fuissent. 2. nullus revera est sententiarum, quas ille pugnantes habet, conflictus, ac fateri cogitur, eas omnes in particularium Ecclesiarum Episcopis optime cohaerere. Quilibet enim Episcopus est amicus sponsi, cujus est minister; filius idem suae Ecclesiae est, si apud eam baptismate renatus sit; sponsus tamen ejus est spectata Episcopi dignitate, licet Christus quoque illius sponsus sit. Igitur quaelibet singularis Ecclesia geminum

habet sponsum, alterum, qui sub aspectum non cadit, adspectabilem alterum, qui tamen nonnisi unum sponsum efficiunt, quemadmodum Ecclesiae caput adspectabile, & caput, quod oculorum effugit obtutum, unum caput sunt, Christus scilicet Pontificis, qui illum repraesentat, opera agens ipsemet, Ecclesiamque administrans. 3. Sponsi cum Episcopo comparatio nonnisi ad rectionis auctoritatem, & sollicitudinem pertinet. Quare quum *Balutius* ait: *quid enim fingi potest ineptius &c.*, ineptit ipse, comparationem in alienam omnino, falsamque sententiam detorquens. Facile id intelliges, si quod *Balutius* de summo Pontifice cum universali Ecclesia collato animadvertit, particulari Episcopo cum sua Ecclesia comparato adcommodaris. 4. tandem sponsi nomen nihilo majorem confert auctoritatem, quam capitis nomen; ut *Balutius* se plus nimio percelli illo, ac perturbari siverit. M.

66 (66) Quod tribuendum solemni illi Christi promisso Matth. XVI. 18. *& portae inferi non praevalebunt adversus eam*. M.

67 (67) Ecclesiam scilicet dissolvit, seu ejus unitatem quoad ipsius est, infringit, merita, quae nonnisi in Ecclesiae gremio colligere datur, extra Ecclesiam quaerens. M.

68 (68) Unus scilicet, atque idem Deus. *Sociniani*, & *Antitrinitarii Socino* Duce *T. I. pag.* 239. hanc *Johannis* sententiam in sacrum textum ab interpolatore nescio quo illatam fuisse contendunt. Verum illos *Cyprianus*, qui medio tertio saeculo sexaginta, & amplius ante

te *Arrianae* haereseos ortum annis floruit, mendacii arguit. *Tertullianus* quoque, quem *Cyprianus* veluti magistrum spectabat, in hunc ipsum locum intendebat *in Lib. adv. Prax. Cap. XXV.* quum de tribus, Patre nempe, Filio, & Spiritu Sancto diceret: *qui tres unum sunt, non unus*. Ut *Cyprianici* testimonii vim haeretici declinarent, allegoricam nescio quam interpretationem a *Cypriano* indicatam fuisse finxerunt. Sed S. *Fulgentius* in Libro, quo objectionibus *Arrianorum* satisfacit (ad object. VII.) *Cyprianum* vere *Johannis* verba reddidisse testatur. *In Patre ergo*, inquit ille, *& Filio, & Spiritu Sancto unitatem substantiae adcipimus, personas confundere non audemus. Beatus* Johannes *Apostolus testatur dicens: Tres sunt qui testimonium perhibent in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum sunt. Quod etiam beatissimus Martyr* Cyprianus *in Epistola de unitate Ecclesiae testatur, dicens &c.* M.

(69) *Balutius* & D. *Marand* legunt: *quis Christum indueret*. *Manutium* nos sequuti sumus. Utraque lectio Mss. Codicum auctoritate nititur; utraque eumdem sensum habet, sed illa figurata est, haec simplicior. M. 69

(70) Dominus enim, quum eam suae Ecclesiae, cujus unitas diffringi nequit, symbolum esse vellet, illam scindi passus non est. M. 70

(71) Ex *Paullo* sumptum, cujus illud est *Gal. III.* 27. *Christum induistis*. Id autem est, sanctificantem gratiam habere; haberi autem ista non potest, quum quis Ecclesiam dividit, seu ab ea se schismate separat. M. 71

72 (72) Ne credas *Cyprianum* pugnantia loqui. Aliquid conflictus primo adſpectu ſeſe offerre videtur, quum *Cyprianus* ait, unitatem ſcindi non poſſe, & tamen in eos invehitur, qui *audent ſcindere unitatem* Dei. Verum nullo iſta negocio conciliantur. Nempe extrema haec verba indicant, *perfidos* homines id conari, ut eam ſcindant, immo quod ad ipſos ſpectat, illam abrumpunt, dum ſe ab ea ſejungunt. Non tamen ſcindunt; nam poſt eorum ſegregationem unitas in Eccleſia perſtat, quemadmodum in luce perſtaret, ſi radius ab ea avelleretur. M.

73 (73) Omnes Epiſcopi ſunt Paſtores; verum cum Chriſto nonniſi unum myſticum corpus, unumque Paſtorem efficiunt. Gregis nomen ſingulis Eccleſiis tribuitur, ſed illae non ſunt, niſi magni gregis, cui Chriſtus caput eſt, portio M.

74 (74) Ob unum ſcilicet privilegium ejus domui conceſſum, ut quicumque extra illam inveniretur, morte adficeretur. M.

75 (75) Intellige, non poſſe Chriſtum e ſua ejici Eccleſia, ut inter haereticas, aut ſchiſmaticas ſectas commoretur. M.

76 (76) Scilicet, ut ait S. Hieronymus *Brev. in Pſalter.*, *in Eccleſia, in qua fideliter conſiſtentibus Spiritum caritatis infundit, qui unius moris ſunt, & non mutantur*. M.

77 (77) Fuit tunc columba veluti corpus Spiritus Sancti, nempe corpus, quo ſe adſpectabilem reddidit. Hac autem ratione figura Eccleſiae fuit, quam Spiritus Sanctus animat ac

ac regit, quemadmodum Spiritus corpus. M.

(78) Non unus *Cyprianus* eſt, qui columbae adfectiones ſermone ſit perſequutus. 78
Eas Sanctus quoque *Auguſtinus* Serm. LXIV. *de verb. Evang. Matth.* Cap. III. n. 4. ita deſcribit. ,, Jam vero, quid opus eſt commen-
,, dare multis verbis ſimplicitatem columbarum?
,, Cavenda enim erant venena ſerpentis; ibi
,, imitatio periclitabatur, ibi erat quod time-
,, retur. Columbam vero ſecurus imitare.
,, Adtende columbas in ſocietate gaudere:
,, ubique ſimul volant, ſimul paſcuntur, no-
,, lunt eſſe ſolae, communione gaudent, ca-
,, ritatem ſervant; gemitibus amoris murmu-
,, rant, oſculis filios generant. Nam quando
,, columbae, quod plerumque advertimus, in-
,, ter ſe rixantur de cellulis ſuis, quodam-
,, modo pacata contentio eſt. Numquid quia
,, rixantur, ſeparantur? Simul volant, ſimul
,, paſcuntur, ipſa inter ſe pacata eſt rixa. Vi-
,, dete rixam columbarum. Apoſtolus dicit:
,, *ſiquis verbo noſtro non obaudit, per epiſto-*
,, *lam hunc notate, & nolite commiſceri cum*
,, *eo*. Ecce rixa, ſed adtende quoniam colum-
,, barum rixa eſt, non luporum. Continuo ſu-
,, bijcit: *& non ut inimicum exiſtimetis, ſed*
,, *corripite ut fratrem*. Columba amat, &
,, quando rixatur; lupus odit & quando blan-
,, ditur ,,. *Rufinus* Comm. in Pſal. LXVII. hanc columbae adfectionem memorat. *Sancta*, inquit, *Eccleſia merito dicitur columba, quia fel amaritudinis non habet, & quia virtute ſimplicitatis pollet*. M.

79 (79) *Spiritus*, inquit *Tertullianus*, *figura columbae delapsus in hominem, ut natura Spiritus Sancti declararetur per animal simplicitatis & innocentiae, quod etiam corporaliter ipso felle careat*. M.

80 (80) *Simplices autem*, inquit S. Augustinus in Lib. quaest. in Evang. secund. Matth. *sicut columbas esse voluit, ad nulli nocendum. Nam hoc genus avis nullum omnino animalium necat, non solum grandium, contra quae vires non habet, sed etiam minutissimorum, quibus etiam parvi passeres aluntur*. M.

81 (81) Audiatur heic quoque S. *Augustinus* in ep. Joh. Cap.II. Tract.III. n.7. *Omnes certe, qui exeunt de Ecclesia, & ab unitate praeciduntur, Antichristi: nemo dubitet, ipse enim designavit; ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Quicumque ergo non manent nobiscum, sed exeunt ex nobis, manifestum est, quod Antichristi sunt. Et quomodo probantur Antichristi? Ex mendacio*. M.

82 (82) „ Hinc ergo, inquit idem *Augu-*
„ *stinus l. c. n.* 5. videat caritas vestra, quia
„ multi, qui non sunt ex nobis, adcipiunt
„ nobiscum Sacramenta, adcipiunt quod norunt
„ Fideles se adcipere, Benedictionem, Eucha-
„ ristiam, & quidquid in Sacramentis sanctis
„ est. Ipsius altaris communicationem adcipiunt
„ nobiscum, & non sunt ex nobis. Tentatio
„ probat, quia non sunt ex nobis. Quando
„ illis tentatio venerit, velut occasione venti
„ volant foras, quia grana non erant.: Omnes

au-

,, autem tunc volabunt, quod saepe dicendum ,, est, quum area dominica coeperit ventilari ,, in die judicii,,. Addit deinde n. 9. ,, Corrige quod tu fecisti, ut salvetur quod in te ,, Deus fecit. Si autem non vis, si amas & ,, amplecteris peccata tua; contrarius es Christo. Intus sis, foris sis, palea es. Sed ,, quare foris non es? Quia occasionem venti non invenisti,,. M.

(83) Si justi fuissent, ab Ecclesiae gremio non discessissent; dum enim quis justus est, Ecclesiam non deserit. M. 83

(84) Id fecerant in *Africa Felicissimus*, *Romae Novatianus*. *Felicissimus* cum *Donato* seditioso Presbytero, qui suum illum Diaconum consecrari curaverat, a suo se Episcopo disiunxit, atque in quodam monte (fortassis eminentior erat urbis locus) suos conventus habebat. S. *Cyprianus*, qui persequutionis caussa tunc delitescebat, Ep. XXXIX. *Caldonium* & *Herculanum* Episcopos, & Presbyteros *Rogatianum*, ac *Numidicum*, quibus Ecclesiae suae administrationem se absente commendaverat, a *Felicissimi* ejusque adseclarum communione abstinere jussit. Paruerunt hi, ac *Cyprianum* certiorem his verbis fecerunt: ,, *Caldonius* cum *Herculano* & *Victore* collegis, ,, item *Rogatiano* cum *Numidico* Presbyteris. ,, Abstinuimus a communicatione *Felicissimum* ,, & *Augendum*, item *Repostum* de extorribus, ,, & *Irenem Rutilorum*, & *Paullam* sarcinatricem, quod ex adnotatione mea scire debuisti: item abstinuimus *Sophronium* & ipsum 84

de

„ de extorribus , *Soliassum Budinarium* „ . *Novatianus* se *Romanum* Episcopum ordinari curaverat , & cum *Cornelio* legitime electo de Apostolica Sede dimicabat . De eo S. *Cyprianus* Ep.LII. ad *Antonianum* ita loquitur . „ Quod „ vero ad *Novatiani* personam pertinet , Fra- „ ter carissime , de quo desiderasti tibi scribi , „ quam haeresim introduxisset , scias nos pri- „ mo in loco nec curiosos esse debere , quid „ ille doceat , quum foris doceat . Quisquis „ ille est , & qualiscumque est , Christianus „ non est , qui in Christi Ecclesia non est . Ja- „ ctet se licet , & philosophiam vel eloquen- „ tiam suam superbis vocibus praedicet , qui „ nec fraternam caritatem , nec Ecclesiasticam „ unitatem tenuit , etiam quod prius fuerat , „ amisit . Nisi si Episcopus tibi videtur , qui „ Episcopo in Ecclesia a sedecim Coepiscopis „ facto adulter , atque extraneus Episcopus „ fieri a desertoribus per ambitum nititur , & „ quum sit a Christo una Ecclesia per totum „ mundum in multa membra divisa , item Epi- „ scopatus unus Episcoporum multorum concor- „ di numerositate diffusus , ille post Dei tradi- „ tionem , post connexam & ubique conjun- „ ctam Ecclesiae Catholicae unitatem , huma- „ nam conatur Ecclesiam facere , & per mul- „ tas civitates novos Apostolos suos & quae- „ dam recentia institutionis suae fundamenta „ constituat &c. „ M.

85 (85) Schismatici sine crimine baptizare nequeunt ; baptisma tamen , quod administrant , si praescriptum a Christo ritum observent , validum est . M.

Cum

(86) Cum qui baptizat, tum qui baptizantur, peccant ut qui ad polluendum Sacramentum mutuam sibi operam praebeant. *Quamvis*, inquit S. Augustinus Lib. III. *de Bapt.* c. 13. n. 18. *apud haereticos, vel schismaticos idem sit Baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter eamdem discordiae foeditatem, & dissensionis iniquitatem. Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, quum ad Ecclesiae pacem venerint.... Sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.*

(87) De adultis id vere dictum, quum Sacramenta extra Ecclesiam adcipientes se scelere obstringant. Secus de infantibus est, etsi enim baptismo ab haereticis initientur, gratiam adoptionis filiorum Dei percipiunt. Sed nimirum etsi haec omnia *Cypriani* dicta Catholico sensu explicari possunt, satis tamen constat, eum jam tunc errorem de nullo, quod ab haereticis schismaticisve administraretur, baptismate insinuare voluisse: quem postea errorem *Stephanus* Papa suo illo decreto repressit: *nihil innovetur, nisi quod traditum est*. M. 87

(88) Hac Christi sententia *Novatiani* abutebantur, ut licet exiguo se esse numero non diffiterentur, secum tamen Christum esse suaderent. Eamdem *Ubiquistae* ad alium de Corporea Christi ubique locorum praesentia comprobandum errorem traduxerunt. Sed frustra. Non enim de corporea praesentia heic agitur, sed de gratia, ac spiritalibus auxiliis, quae Deus 88

col-

collectis *in nomine suo* impertitur; atque ut de corporea praesentia ageretur, quemadmodum ipsi ajunt, vel ex hac sententia Christum ubique non esse consequeretur. In ea enim Christus cum eis, qui collecti sunt *in nomine suo*, esse dicitur, cujusmodi certe ex.gr. idololatrae non sunt, qui in nomine suorum Deorum conventus celebrant. M.

89 (89) Ecclesia haereticos ab unitate excommunicationis gladio sejungit; sed hi semetipsos antea separant, dum particulares conventus agunt, fideique dogmata ejurant. M.

90 (90) Non iis, qui eam detestantur, & corrigunt poenitendo; sed illis, qui in ea ad mortem usque obfirmate perseverant. *De conversione autem*, inquit S. *Augustinus* lib. 18. de Bapt. contr. Donat. Cap.XIV. n. 21. *nullius desperandum, sive foris, sive intus constituti, quamdiu patientia Dei ad poenitentiam eum adducit, & visitat in virga facinora eorum, & in flagellis peccata eorum. Hoc enim modo misericordiam suam non dispergit ab eis, si & ipsi aliquando misereantur animae suae placentes Deo. Sicut enim bonus, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, sic malus sive foris sive intus, qui perseveraverit usque in finem, salvus non erit &c.*

91 (91) *Donatus* Presbyter *Donatista*, qui ne Catholicam Ecclesiam adiret, sibimet mortem inferre voluerat, hac se tuebatur sententia. S. *Augustinus*, in cujus ille Dioecesi morabatur, epistolam ad eum perscripsit, in qua ita hunc *Paulli* locum explicat: „ Adtende di-
„ ligen-

„ ligenter, & agnosce quemadmodum dicat „ Scriptura, quod tradat quisquis suum corpus, „ ut ardeat. Non utique ut ipse se in ignem „ mittat, quando persequentem patitur inimi„ cum, sed quando ei proponitur, ut aut ma„ li aliquid faciat, aut mali aliquid patiatur, „ eligat non facere mala, quam non pati ma„ la, atque ita corpus suum tradat in pote„ statem interfectoris, sicut tres illi viri fece„ runt, qui auream statuam cogebantur ado„ rare, & nisi facerent, minabatur eis ille, „ qui cogebat, caminum ignis ardentem. Ido„ lum adorare noluerunt, non ipsi se in ignem „ miserunt: & tamen etiam de illis sic scri„ ptum est, quod tradiderunt corpora sua, ut „ neque servirent, neque adorarent ullum „ Deum, sed Deum suum. Ecce quomodo di„ cit Apostolus: *si tradidero corpus meum, ut* „ *ardeam* „. Paullo post addit n. 6. „ Foris „ autem ab Ecclesia constitutus, & segrega„ tus a compage unitatis, & vinculo carita„ tis aeterno supplicio punieris, etiamsi pro „ Christi nomine vivus incenderis. Hoc est „ enim, quod ait Apostolus: *& si tradidero* „ *corpus meum &c.* „ M.

(92) Virtutes igitur, quas in haereticis aliquando admiramur, & in sectarum capitibus videre nobis videmur, non prohibebunt, quin a Regno Coelorum excludantur. „ Con„ stituamus ergo, inquit S. *Augustinus Lib.* „ *IV. de Bapt. contr. Donatist. c.* 18. *n.* 25. ali„ quem castum, continentem, non avarum, „ non idolis servientem, hospitalem, indi- 92

„ gen-

„ gentibus ministrantem, non cujusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum aemulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed haereticum: nulli utique dubium est, propter hoc solum quod haereticus est, Regnum Dei non possessurum „. M.

93 (93) Duo in Libro *de patientia* quaerit S. *Augustinus*. Primum, num schismatici patientia pro Christo laudibus digna sit; alterum an donum Dei haberi debeat. Primam illam quaestionem sic dirimit *cap.* 26. *n.* 3. „ Si quis autem non habens caritatem, quae pertinet ad unitatem spiritus & vinculum pacis, quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persequutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum, & ignis aeterni: nullo modo ista culpanda sunt, immo vero & haec laudanda patientia est. Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut Christum negando nihil eorum pateretur, quae passus est confitendo: sed existimandum est, fortasse tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando cuncta illa vitaret: ut illud quod ait Apostolus: *Si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*; nihil prodesse intelligatur ad Regnum Coelorum obtinendum, non ad extremi judicii „ diem

„ diem tolerabilius subeundum „. Alteram deinde quaestionem his verbis adgreditur *cap.* 27. *n.* 24. „ Sed merito quaeri potest, utrum „ & ista patientia donum Dei sit, an viribus „ tribuenda sit voluntatis humanae, qua qui- „ sque ab Ecclesia separatus, non pro errore, „ qui eum separavit, sed pro veritate Sacra- „ menti, seu Verbi, quae apud eum remansit, „ timore poenarum aeternarum, poenas pati- „ tur temporales. Cavendum est enim, ne for- „ te, si Dei donum istam patientiam dixeri- „ mus, hi, quibus inest, etiam ad Regnum Dei „ pertinere credantur: si autem illam donum „ Dei esse negaverimus, cogamur fateri, si- „ ne adjutorio & munere Dei in voluntate „ hominis esse posse aliquid boni. Neque enim „ hoc non est bonum, ut credat homo aeter- „ no supplicio se esse puniendum, si negave- „ rit Christum, & pro ista fide qualecumque „ supplicium perferat, & contemnat humanum. „ Proinde (*en propositae quaestionis enodatio*) „ sicut negandum non est, hoc esse donum Dei, „ ita intelligendum est, alia esse dona filiorum „ illius Jerusalem, quae sursum libera est mater „ nostra (haec sunt enim quodammodo here- „ ditaria, in quibus sumus heredes Dei, co- „ heredes autem Christi): alia vero, quae pos- „ sunt adcipere etiam filii concubinarum, qui- „ bus *Judaei* carnales & schismatici, vel hae- „ retici comparantur „.

Non heic *Cypriano Augustinus* adversatur, sed utriusque sententia dogma est Ecclesiae: 1. Quod schismatici subeunt, supplicium nihil, illis

illis ad coeleste Regnum comparandum prodest: *Nihil prodesse intelligatur ad Regnum Coelorum*. Poena perfidiae est illis supplicium, quod sine perfidia esset fidei corona. Supplicium autem non illud est, quod macula sceleris imbuit. Quare etsi schismatici extra unitatis gremium illud patiuntur, patiendo tamen non peccant. 2. *haec laudanda patientia est*; negandum enim non est, satius esse mori, quam turpiter Christum abnegare. Verum haec patientia in coelo non coronabitur. *Nihil prodesse intelligatur ad Regnum Coelorum obtinendum*. 3. haec tamen patientia non illis prorsus inutilis est. *Sed existimandum est, fortasse tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando, cuncta illa vitaret*. Certe si Christum negasset, novo se crimine obstrinxisset, quod Christum confitens non admisit. Immo rem laudabilem gessit, quamquam quod extra unitatem gessit, non eam, quae in coelis est, mercedem habeat. 4. *negandum non, est hoc esse Dei donum*. Gratiis ergo extra Ecclesiam locus est, licet non iis, quae per se filios & heredes Dei reddant. *Alia vero, quae possunt adcipere etiam filii concubinarum, quibus Judaei carnales & schismatici vel haeretici comparantur*. 5. magnum intercedit discrimen inter supplicia, quibus schismatici, & haeretici interdum pro Christo adficiuntur, eaque, quae ne schisma, suosve errores abjiciant, nonnumquam perferunt. *Pro errore, qui eum separavit*. Eorum in schismate, aut haeresi obfirmatio novum peccatum est severiore judicio puniendum. *Sunt ergo*, inquit

quit idem *Augustinus Serm.*286. in *Nat.Martyr.* Protas. & Gerv. *n.* 1. postquam Martyris nomen *testem* significare docuerat, *sunt ergo Martyres veri, sunt falsi. Sed ait Scriptura, testis falsus non erit impunitus. Si testis falsus non erit sine poena, nec testis verus sine corona.* Item *Serm.*281. in *Nat. Mart.* Cas. & Aemil. *quid ergo,* inquit, *jactas poenam tuam malam, qui non habes caussam bonam?* Horum igitur falsorum Martyrum poena reos illos facit: *poenam tuam malam*; publica enim est schismatis professio, atque atrox scandalum. M.

(94) Hunc S. *Cypriani* locum appellat S. *Augustinus* Ep. CVIII. ad *Macrobium*, ubi *Donatistis*, qui *Cypriani* auctoritate ad suum ipsorum de iterando Baptismate vindicandum errorem passim abutebantur, respondet. Primo ergo Concilium *Carthaginiense* aliaque *Cypriani* nomine vulgata scripta in νοθείας suspicionem vocat: *si vere ipsius sunt, & non sicut aliqui putant, sub ejus nomine conscripta, atque conficta.* Ex his ipsis deinde scriptis ostendit, quantum in servanda unitate *Cyprianus* adlaborarit. Tandem addit: *Huc accedit, quoniam fructuosum sarmentum, si aliquid habebat adhuc purgandum, gloriosa Martyrii falce purgatum est. Non quia pro Christi nomine occisus est, sed quia pro Christi nomine in gremio unitatis occisus est. Nam ipse scripsit & fidentissime adserit, eos, qui extra unitatem, etiamsi pro illo nomine moriantur, occidi posse, non posse coronari. Tantum valet sive ad delenda, sive ad confirmanda peccata vel custodita, vel violata* 94

T *cari-*

caritas unitatis. M. Plura Patrum testimonia idem, quod *Cyprianus*, ajentium, occidi posse schismaticos, haereticosque, coronari non posse, congerit Eminentissimus *Perronius Repliq. a la Resp. du Roi de la grand Bretagne Lib. I. Cap. IV.* ubi necessitatem cum Catholica Ecclesia communicandi ostendit.

95 (95) „ Prophetare, inquit in hunc locum *Matthaei* S. *Hieronymus*, & virtutes „ facere, & daemonia ejicere, interdum non „ ejus meriti est, qui operatur: sed vel invo- „ catio nominis Christi hoc agit, vel ad con- „ demnationem eorum, qui invocant, & uti- „ litatem eorum, qui vident & audiunt, con- „ ceditur; ut licet homines despiciant signa „ facientes, tamen Deum honorent, ad cujus „ invocationem fiunt tanta miracula. Nam & „ *Saul*, & *Balaam*, & *Caiphas* prophetarunt „ nescientes quid dicerent: & *Pharao* & *Nabuchodonosor* somniis futura cognoscunt. Et „ in *Actibus Apostolorum* filii *Scevae* videban- „ tur ejicere daemonia. Sed & *Judas* Apo- „ stolus cum animo proditoris multa signa in- „ ter ceteros Apostolos fecisse narratur „. M.

96 (96) *Non dixit: qui operati estis iniquitatem, ne videretur tollere poenitentiam, sed qui operamini, hoc est, qui usque in praesentem horam, quum judicii tempus advenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis adfectum*. Ita ibidem *Hieronymus*. M.

97 (97) Ita legitur in omnibus veteribus excusis libris, ac plerisque Mss. Codicibus. *Dilectissimi* habent tres Codices, quos *Morellius*, & *Pamelius* sequuti sunt. M. Vul-

(98) Vulgata: *captivas ducunt mulierculas*. Utrumque haeretici faciunt. Suum in dominatum mulieres redigunt, dum veluti mancipiis imperare illis possint; tum illas praedantur, earum bonis in sectae suae commoda translatis. Id a S. *Hieronymo* scite animadversum video in Epist. ad *Ctesiph.* omnes haereticos ad suos disseminandos errores feminarum opera usos fuisse. „ *Simon Magus* haeresim condidit *Helenae* meretricis auxilio. *Nicolaus Antiochenus* omnium immunditiarum repertor choros duxit femineos.. *Marcion Romam* praemisit mulierem, quae decipiendos sibi animos praepararet. *Apelles Philumenem* suarum comitem habuit doctrinarum. *Montanus* immundi spiritus praedicator multas Ecclesias per *Priscam* & *Maximillam* nobiles & opulentas feminas primum auro corrupit; deinde haeresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. *Arrius* ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. *Donatus* per *Africam*, ut infelices quosque factentibus pollueret aquis, *Lucillae* opibus adjutus est: in *Hispania Agape Elpidium*, mulier virum, coecum coeca duxit in foveam, successoremque sui *Priscillianum* habuit *Zoroastri* Magi studiosissimum, & ex Mago Episcopum, cui juncta *Galla* non gente sed nomine Germanam huc illuc currentem alterius & vicinae haereseos reliquit heredem „. M. 98

(99) Solent mulieres in haeresim lapsae prae se quamdam probitatem ferre; verum peccatis oneratae sunt, in quae indolis alacritate, odio, tuendaeque sectae suae studio facile pertrahun- 99

 tur.

tur. *Mirum negocium*, inquit ignotus auctor epistolae *de bono pudicitiae* inter *Cypriani* opera, *mulieres ad omnia delicatae, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris*. M.

100 (100) *Propterea vero*, inquit idem *Hieronymus* in Ep. ad Tit. cap. 3. *a se ipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida & cetera vitia per Sacerdotes de Ecclesia propelluntur. Haeretici autem in semetipsos sententiam ferunt suo arbitrio de Ecclesia recedentes: quae recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio*. M.

101 (101) *Novatianum* intellige, valide quidem, sed illicite Presbyterum atque Episcopum initiatum. Offerebat scilicet ille Christi Sacrificium; verum quod illud in schismate offerret, offerens polluebat; idque *Cypriano* est *in Sacrificium Christi esse rebellem*. M.

102 (102) Haeretici precum formulas suorum errorum veneno infectas plerumque usurpant. Id de *Novatiano* vix mihi persuadeo. *Precem alteram* explicat, quod antecedit *aliud altare*, *precem* scilicet a Catholicae Ecclesiae *prece* disjunctam; hincque eam *illicitis vocibus* fieri *Cyprianus* ait. M.

103 (103) Vera erant ordinis potestate spectata; falsa tamen dici a *Cypriano* poterant tum iis qui illa offerebant, tum iis qui aderant. Putabant nimirum hi, legitima ea esse, ac sibi salutaria; quod tamen falsum erat, quum extra unitatis gremium, atque a schismaticis offerrentur. Falsum porro vocari potest, siquid longe aliud ab eo fit, quod esse videa-

videatur. *Prius*, inquit S. Auguſtinus *ſolil. Lib. II. Cap. VI. n.* 10. *quid ſit falſum, etiam atque etiam ventilemus. Miror ſi quidquam aliud erit, quam quod non ita eſt, ut videtur*. M.

(104) Eodem S. *Judas* exemplo adverſus ſui temporis haereticos utitur: *Vae illis, quia in via Cain abjerunt, & in errore* Balaam *mercede effuſi ſunt, & in contradictione* Core *perierunt*. M. 104

(105) Plures ejuſmodi in *Novatiani* factione cenſebantur. Ad eos *Cyprianus* Epiſtolam XLIV. ſcripſit, ut illos ad unitatem reduceret. *Quod quaeſo*, inquit, *ut in vobis ſaltem illicitum iſtud fraternitatis noſtrae diſſidium non perſeveret, ſed & confeſſionis veſtrae, & divinae Traditionis memores ad matrem revertamini, unde prodiiſtis, unde ad confeſſionis gloriam cum ejuſdem matris exultatione veniſtis*. Hi revera ſchiſma ejurarunt, ac litteras ad *Cyprianum* dedere, qui ſtatim illis gratulatus eſt. Confer S. *Cypriani* Epiſtolas XLVI. XLVII. XLVIII. & XLIX. *Pamelianae* editionis. M. 105

(106) Hinc *Donatiſtae* univerſitatem generis humani a fide penitus defeciſſe colligebant. Eorum argumentum a Proteſtantibus, ceteriſque, qui poſt ipſos primorum paſtorum corpus, damnati, quem primum in ſymbolo profitemur, articuli, ac praecipuarum Chriſtianae fidei veritatum proditarum auſi ſunt adcuſare, iteratum vidimus. Habeant ergo hi illud ipſum reſponſum, quod S. *Auguſtinus* ep. vulgo *de-* 106

unit. Ecclef. Donatiftis dedit. *Quod nos intelligimus dictum & propter ipfam fidei perfectionem, quae ita difficilis eft in hominibus, ut in ipfis quoque admirabilibus Sanctis, ut in ipfo* Moyfe, *inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, de qua fatis diximus*. Similiter in Dial. *adv. Luciferian. Hieronymus* tradit: *Quod fi de illa, quae in Evangelio fcripta eft, fibi fententia blandiuntur*: Putas ne, quum venerit Filius hominis, inveniet fidem fuper terram? *fciant illam fidem nominari, de qua ipfe Dominus ajebat*: Fides tua te falvam fecit: *Et alibi de Centurione*: Non inveni tantam fidem in Ifrael. *Et rurfus ad Apoftolos*: Quid timidi eftis modicae fidei? *Haec eft fides, quam raro inveniri Deus pronunciavit; haec eft fides, quae etiam apud eos, qui bene credunt, difficile perfecta invenitur*. M.

107 (107) Fides nempe, de qua Chriftus in nuper explanatis *Lucae* verbis loquebatur. Univerfe quidem a *Cypriano* dictum: *in opere fides nulla eft*; fed qua ratione a Propheta dictum fuerat Pfal. XIII. 2. *Non eft qui faciat bonum, non eft ufque ad unum*. Hoc fcilicet enunciationis genus folummodo indicat tam exiguo bonos numero effe, ut cum innumerabili peccatorum multitudine comparati vix cenferi mereantur. Profecto *Cyprianus* quum viveret, in ipfa, cui Epifcopus praeerat, *Carthaginienfi* Ecclefia Chriftianos viderat longe ferventiffimos, ac perfecta fide adeo inftructos, ut eam pro-

proprio ipſo ſanguine confirmarint pro Chriſti nomine interempti. Quid aptius ad noſtrae interpretationis veritatem perſpicue demonſtrandam? M.

(108) Perfecta, quam explicuimus, fide. M. 108

(109) *Cyprianus Carthaginienſes* ſuos adloquebatur; eorum fidem noverat; ſciebat illorum plures nomen Chriſti in carceribus ac ſuppliciis conſtantiſſime confeſſos fuiſſe; eis tamen exprobrabat, *quia non crederent omnino*. Quid hoc? Modus quidam dicendi ενεργικος eſt; ut ſuae fidei, quae aeterna illis tormenta ob oculos poneret, quin tamen timore percellerentur, imbecillitatem intelligerent. M. 109

FINIS.

INDEX

Rerum notatu digniorum.

A

B

DIO-

G

H

I

L

M

N

O

P

R

caput



DEBEMVS.

Dignitatem propriae venerationis Apoſtolo PETRO *intemeratam* ET IN NOSTRIS TEMPORIBVS *conſervare, quatenus Beatiſſimus Romanae Civitatis Epiſcopus*, CVI PRINCIPATVM SACERDOTII SVPER OMNES ANTIQVITAS CONTVLIT, *locum habeat, ac facultatem de Fide, & Sacerdotibus judicare.*

VALENTINIANVS IMP.
in Epiſt. ad Theodoſ.

E X P L I C I T.





